













IOANNIS FERNELII

AMBIANI DE VACVANDI

RATIONE

LIBER,

Non solùm ex celeberrimis quibusq; ueterum monumentis depromptus, uerumetiam diuturno iam multorum usu, & labore confirmatus.




VENETIIS,

EX OFFICINA ERASMIANA, VINCENTII VALGRISII:

M. D. XLIX.

IOANNES FERNELIVS AD MEDICINAE STVDIOSOS.



RDENTI *sanè, & propensa animi uoluntate mihi constitutum iam erat, post traditam naturalis medicinæ partem, reliquas dein ordine quanque suo persequi, easq; uobis pro more, institutoq; nostro explicare. At multorum, qui iam longiùs in studijs suis progreßi, ad eruditionis propè fastigium peruenerunt, aßidua diligensq; postulatio effecit, ut interrupto paulisper ordine, ad medendi partem me contulerim: atque ex alijs operibus, quæ nunc adumbrata sunt omnia, hanc uacuandi rationem deprompserim, proposuerimq; uobis. Quam eo potißimùm nomine suscepi, quòd in omni medentis actione prima occurrat, obuiaq; sit, & cum primis ad usum uitæ neceßaria, tam quàm præstantißima inter reliquas excellat, & eluceat. Deinde quòd adeò multis est inuoluta obscuritatibus, ut abutentium, qui nunc non pauci sunt, uitio, in grauißimam mortalium perniciem exerceatur. Quo quidem erroris & ignorantiæ imprudentes illi deuoluuntur, dum ex uno atque altero Galeni loco, artis sibi compendia parant: cuiusmodi hæc extant: Duo sunt omnia, quæ uenæ sectionem indicant: morbi magnitudo, & uirium robur. & : Saluberrimum est in febribus uenam incidere, non continuis modò, uerumetiam omnibus, quas putrescens humor concitat. Ex his atque similibus oscitanter perlectis, & perperam comprehensis, uniuersam artem*

componunt, eò cæcitatis redacti, ut omni obseruatione posthabita, in nullo non morbo uel frigidißimo sanguinem profundant. Neque satis habent semel atque iterum detraxisse, sed tertiò etiam, quartò, ac quintò: denique adeò frequenter & abundè, dum suam ipsorum immensam libidinem sanguine saturent. Quum autem expedit, plerunque parcè adeò sanguinem emittunt, ut nihil ægrotum leuent. Illis statim comparatur breuis admodùm & expedita, sed nimis periculosa & anceps ratio medendi. Vt spurcißimi belluones uino, quod moderatum alioqui saluberrimum est, plerunque intemperantes se ingulant, ita & illi dum præstantißimo artis subsidio, nec loco, nec modo, nec rectè utuntur, mortale genus oppugnant, ipsaq; artis remedia breuiore & nouo compendio infamant, ac polluunt. Sanguinem quippe incisa uena mitti nouum non est, inquit Celsus, sed nullum penè morbum esse in quo nõ mittatur, nouum est. Ne uobis igitur dum ad artis opera accedetis, in similes salebras incidere contingat: in hanc uacuandi artem incumbite, non solùm ex celeberrimis quibusque ueterum monumentis depromptam, uerumetiam diuturno iam multorum usu & labore confirmatam.

DE VACVANDI RATIONE LIBER.

PRAEFATIO.



VVM affectus omnes, quicunque in corpus humanum præter naturam inuadunt, superiore libro in uniuersa quædam genera ad medendi artem cõtulissem, simul remediorum summas differentias, quæ singulis singulæ ex aduerso responderent, quanta licuit diligentia constitui, easq; formulis expreßi. Mox deinde non solùm in simplicibus, uerùm etiam in compositis atque implicitis affectibus, qui tum uariam & multiformem curationem, tum disparia remedia exposcerent, explicaui quid primo, quid dein secundo, quid tertio quarto'ue, quo demum quidq; loco & ordine adhibendum foret: qua certè in re medendi ratio maximè floret & excellit. Postremùm uerò ad partium affectus oratione conuersa, ex earum obseruatione inuestigaui, quæ auxilia cuiq; laboranti parti subsidio uenirent, quaq; lege essent afferenda: ut iam in ijs medendi methodus numeris omnibus confecta & absoluta esse uideatur. Illic autem summa duntaxat remediorum genera primoribus (ut aiunt) labris attigimus, neque sumus illorum syluam penitus ingreßi, quam hîc omnino perlustrare mens erat. Omnem igitur illorum materiam hunc in locum traducere & congerere decretum est, ut quotiescunque ars illa medendi quippiam exequendum præcipiet, protinus nullaq; mora in promptu sit remedium,

quod hinc, tanquàm de narthecio, proferre liceat. Quoniam autem morborum pars maxima ex interiorum causarum, nempe ex humorum uitio, nascitur atque pendet: præcipua certè curationis pars statuetur, quæ eosipsos humores uel emendet, uel prorsus è corpore depellat. Quocirca uacuandi remedium tanquàm præcipuum, & maximè generale, cæteris hoc loco iure quodam præmittimus: cuius certè uis adeò inter omnia excellit, ut quisquis idoneum uacuationis genus nouerit unicuique morbo adhibere, uniuersamq; affectus causam opportunè summouere, is uideatur multò maximam artis partem consecutus: ex qua profectò sola plerique medici maxima famæ, & nominis celebritate clari uixerunt. Qui ubertatem, & quasi syluam medicamentorum sibi undique compararit, si fortè hac sola instructus, uelit medicinam exercere, rudis & ingenij consilijq; expers in empiricorum numero est habendus: cuius omnis conatus ex fortuna pendeat, omnis ad fortunam labor dirigatur. Vt autem cum primis commoda fructuosaq;, ita sanè perobscura & inuoluta uacuandi ratio: neq; cuiuis perspectum & exploratum, quod uacuandi genus cuiq; morbo, & quando, & quantum conueniat. Ne quis igitur in tanto errore, & in maximarum rerum ignoratione uersetur, in hac luculenter explicanda omnem operam, omneq; studium conferemus, à uenæ sectione orsi.

HVMORVM

HVMORVM DIFFERENTIAE, QVID PLETHORA, quid cacochymia, quæ duo sunt humorum uitia, Caput I.



VACVATIO est peccantium in corpore humorum excretio. Humorum autem alij superuacui, alij propriè succi nuncupantur. Succorum nomen ijs accommodamus, qui in corporis substantiam conuerti, & id ipsum alere solent: id genus sunt uenarum sanguis, & ij præterea humores, quos aliquando diximus secundarios appellari. Dißimilis & magna uarietate ab his constituta est superuacuorum natura, qui à sanguine ui naturæ secreti, alẽdo corpori inutiles procul amandantur: bilis quippe in cystim fellis, melancholicus humor in lienem, & urina quæ per renes in uesicã profunditur. Hæc enim à benigno iecoris & uenarũ sanguine natura seiungit, quemadmodum etiam sudores ex habitu corporis, muccum narium è cerebro, atque sputũ è pulmonibus. Iam uerò corpori humores aliâs secũdum naturam, aliâs præter naturam insident. Dum naturæ legibus conueniens est eorum constitutio, per quam sanitas integra consistit, eam conseruare, non autem ullis uacuationum generibus demoliri conuenit. Id autẽ accidit, quoties uenarum sanguis & humores secundarij, itemq; bilis flaua in sua cysti, & in liene melancholia decoram & consentaneam tum qualitatem tum quantitatem obtinent. At uerò peccant humores, quum uel qualitatis uel quantitatis modus nõ tenetur. Venarum quidem sanguis nequaquam simplex est & uniusmodi, sed ex pituitæ, bi-

lis utriusq;, & puri sanguinis permixtione conflatus: atq; hos etiam succos ex omnium consensione usuq; dicendi, sanguinis appellatione designamus. In homine bene temperato & optimè sano minus est bilis flauæ quàm melancholiæ, minus huius quàm pituitæ, & pituitæ minus quàm sanguinis puri. Iusta illa & naturæ conueniens omniũ humorum proportio, est naturalis æquabilitas quam definimus: atq; is sanguis optimus & benignus æstimabitur, qui ex quatuor succorũ naturalium æquabilitate consurgit. Nõ sic quidem, ut is parem habeat omnium in mixtura portionem, sed pro ratione quam dixi cuiq; idoneam. Solius ergo quantitatis uitiũ est, cùm succi omnes seruata qualitatis mediocritate, super iustam & naturæ congruentem mensuram accumulantur & increscunt, adeoq; exuperãt, ut corporis uniuersa moles intumescat, & uenæ supra modũ plenæ tensionis sensum inuehant, omniaq; mẽbra præsertim post exercitia exporrigi uideantur. Hæc ista cõstitutio tametsi bonis humoribus cõferta est, & uires obtinet robustas, hoc tamen malũ circumgerit, quod ad immodicam uenit repletionẽ, & proinde graui sit periculo obnoxia. Est autem simplex illa uasorum plenitudo, cuius duo genera ferũtur. Vnũ quod est succorũ omnium æquabilis redundantia, alterum uerò syncerioris sanguinis summa ubertas & affluẽtia, quum nempè purus ille sanguis reliquos in permixtione succos magnopere uincit, adeoq; exuberat, ut uenas quoquouersum inflet atq; distendat. Quanquã enim in ea redundantia nõ est succorũ æquabilitas, quia tamẽ nõ qualitatis sed quantitatis solius uitium subest, debet etiam plethoræ genere contineri. Neque uerò siquis helluo esculentis potulentisq; se obruens uenas breui supra modum impleat, & in

[Marginal notes, handwritten:] Vitium in quantitate sanguinis. / plethoræ simplicis 2 genera: Ad vasa.

& in extremam porrigat tensionem, eam ex intemperantia serosi crudiq; excrementi copiam, plethoræ nomine dignam existimabimus, ut quæ per inedias, profusis urinis, prompte minuitur atque coquitur. Vni igitur copiæ sanguinis bene cocti nec sero multo perfusi, plethoræ nomen conueniet, quæ non nisi multo tempore, nec nisi bene temperato corpore gigni potest. Atque hæc simpliciter & absolute plenitudo censetur, quam etiam ad uasa iam trito & apud omnes peruulgato nomine celebrant, quod amplam uasorum capacitatem prorsus impleat, etiamsi uires non premit. Alterum genus est plenitudinis, quæ ad uires comparatur, in qua tametsi uasa nec tument nec copia distenduntur, plus tamen utilis sanguinis & alimenti in illis reconditum est, quàm ut à natura regi gubernariq; poßit. Mediocre alimentum sæpenumero infirmiori naturæ molestum est & graue, quod licet per initia purißimum sit, nequit tamen eiusmodi permanere: sed à nostri caloris feruore destitutum, tempore dierumq; numero temperiei mutationem subit atq; corrumpitur, fitq; morborum causa. Qualitatis autem ratio uitiose se habet & à modo desciscit, quum humorum pernicies et corruptela corporis functionibus incommodat. Hæc certe cacochymia est, cuius colluuie corpus sordescit & labefactatur. Est autem ea bipartita, una mitior, quum uel superuacui humores immodice accumulati sunt, uel succi in sanguine non illa iusta naturaliq; proportione & concordia tenentur. Altera deterior, quum uel superuacui humores, uel succi tum primi tum secundarij à naturali & conuenienti sua temperatione in uitium prolapsi sunt, quod aut substantiæ eorum aut temperiei corruptio quædam est: atque horum utrunque rursus aut cũ

putredine,

Plethora ex intempantia non prouenit.

·II· plenitudo ad vires.

Cacochymie 2° gnæ:

putredine, aut citra putredinem obtingit. Galenus leuem humorum mutationem atque labeculam, cacochymiam nondum appellat, sed eam solùm quæ eousque adaucta est, & à naturæ modo defecit, ut nunquam illius beneficio euinci concoquiq; poßit, neque deinceps in integrũ restitui. Summa quidem hæc sunt cacochymiæ genera, quorum situs atque sedes dilucidè ad medendi uacuandiq; rationem iam explicare conuenit: ut inde exploratũ habeamus, quid & unde uacuandum sit, & quo id præsidij genere moliendum.

TRES IN CORPORE COMMVnes regiones, & quæ humorum uitia in eis consistant, Caput II.

HVmorum plenitudo quæ Græcis est plethora, potissimùm quidem in uenis atque in corporis habitu consedit: at cacochymia in omne corpus dispergi diffundiq; solet. Corpus uniuersum tribus omnino regionibus continetur, quæ proprijs limitibus & terminis circumscriptæ, humorũ distribuendorum quasi uiæ quædam sunt & receptacula. Vna quidem ac uerè prima, è gula in medias iecoris partes dirigitur, in qua uentriculus, uenæ mesaraicæ quæcunque ad portas concedunt, caua iecoris, lien, & illis interiectus pancreas includuntur. Altera è medio iocinere in tenues partium singularum uenas excurrit, comprehendens ea quidem iocinoris cõuexa, omnemq; uenam cauam, atq; illi comitem arteriam maiorẽ, & quicquid earum incidit inter axillas & inguina. Tertia regio musculos complectitur, membranas et ossa, omnem denique corporis molem, quæ ab ipso ingressu arte-

riarum

riarum uenarumq́; minorum, in partes singulas & in summam extimamq́; cutem profertur. Magna quidem istarum regionum uarietas ex dissimilitudine locorum, qui proprijs finibus ita præscripti sunt, ut inter eos cõmunionis minimum intercedat. At profectò maxima ex proprijs cuiusque uiribus, quum sint alijs aliæ coctiones, excrementa alia, & uiæ expurgandi aliæ: ex quorum animaduersione omnis ferè medendi ratio ducta deriuataq́; est. Quænam autem in unaquaq; humorum uitia prouenire solent, enarrandum. Regio illa prima tanquam sentina quædam sit corporis, magna scatet excrementorum colluuie, estq́; compluribus obiecta humorum uitijs. Ex naturæ siquidẽ instituto, præter alui fæces superuacuos etiam humores gignit ac sustinet: crudam uidelicet lentamq́; uentriculi et intestinorum pituitam, bilem flauam quæ proprio folliculo, & melancholiam quæ liene coërcetur. Debet autem in integra corporis constitutione horum moderata tum qualitas tum quantitas inesse. Si quid igitur istorũ præter modũ increuit, ut iam nequeat proprio cõprehendi receptaculo, sed redundans in alias sedes irruat, uitiosum habetur. Vẽtriculi cruditate si magna pituitæ uis ingeneretur, ea et cibos corrũpet, et in intestina prorũpẽs dolores colicos, in tenues uerò mesenterij atque iecoris uenas illapsa, obstructiones inferet. Bilis flaua aut pallida exuperans, & extra cystim diffluens, nunc in omne iecur in omnesq́; uenas & habitum corporis, nunc in uentriculum & pancreas, nunc in mesenterium & intestina diffunditur aut irrepit. In easdem sedes melancholicus humor irruit, dum ex liene præ copia elabitur. His ergo modis humores superuacanei quantitatis uitio corpus labefactant. At qualitatis uitia contrahunt, quoties immo-

Qualitate quo. immodicè tenues uel craßi redduntur, aut quum bilis quidem præter modum efferuescit, pituita uerò uel melancholia frigidior euadit. Nam flaua bilis secundum iecoris caua nonnunquam in uitellinam, atq; hæc deinde in porraceam, in æruginosam & cœruleam, quarum ferè ortus in uentriculo ex ciborum corruptela comparet. In liene ex melancholico humore exusto atra bilis mitior prouenit. Excrementitiæ pituitæ quatuor genera, nempe aquea, muccosa, uitrea, et gypsea: uel à tenui destillatione, uel à cruditate sumpto initio, aliâs in uẽtriculo, aliâs in intestinis alijsq; partibus cõgerũtur et inhærent. Omnia autẽ eiusmodi quæ prima corporis regio profert humorũ uitia, aliâs etiã putredine cõtaminãtur, aliâs citra putredinẽ obtingunt. In altera porrò regione quæ maiorũ est uasorum, maximè atque præcipuè solet plethora concipi, quæ est ipsorum uasorum plenitudo. In hac pariter cacochymia procreatur, quandoque leuior ac mitior, quoties in massa unus quiuis trium succorũ sanguinẽ immodicè superat. Nã si unus quiuis succus siue biliosus, siue melancholicus, siue pituitosus, cæteris qui in sanguine cõfusi sunt, præpolleat atque dominetur, neque laudabilis, neq; naturalis sanguis esse poßit, ut neq; quũ nimis dilutus uel aquosus immodico sero perfunditur. Fit altera paulò deterior uenarũ cacochymia, dũ constãte æquabilitate, succi omnes aut etiam unicus, uel substantiæ uel temperiei ex se mutationem subit, tenuior, craßior, intemperatior'ue factus. Tertia quum è prima illa corporis regione, humores superuacui iecur prætergreßi in maiores uenas irrumpunt: quod perspicuè in morbo regio, in arquato nigro, & in leucophlegmatia uidere licet. Hac multò deterior est quarta cacochymia, in qua succi maligna & præter

II regio, plethora [struck out] Cons. Κακοχυμία. II. III. IIII.

præter naturam incidente labe peruertuntur: sic per morbos exitiosos ex uitellina bile fit porracea, ex hac uerò æruginosa, ex qua deinde cœrulea, quæ cùm extremè torretur, tum demum in atram bilem omnium humorum perniciosissimam conuertitur. Huius ferè generis est atræ bilis ea species, quæ ex salsæ pituitæ incendio profertur. Eaq; uitia omnia maiorum uenarum succis obueniunt, aliâs cum putredine, aliâs uerò citra hanc: semper uerò putredinis appulsu humoris uitium & malignitas ingrauescit. In tertia corporis regione plethora fit, quæ omnis à uenis maioribus deriuatur. Ab his enim quum succorum redundantia in partes singulas illabetur, qui inde geniti erunt humores secundarij, pristinam æquabilitatem suumq; proportionis modum adseruabunt. Si qua porrò praua qualitate inquinati erant in uenis, eius certè uim & conditionem redolebunt, quum in habitum corporis influxerint: nequit enim tantum uitium caloris nostri beneficio & concoctione uinci. Quocirca tertiæ regionis uitia, eis finitima sunt, quæ secunda protulerat, totq; modis atque differentijs comprehensa. Omnis ex quacunque corporis regione sit excretio, ea potest euacuationis nomine insigniri. At in præsentia non tam diffusè, sed contractiùs euacuationẽ eam definimus, quæ peccantiũ humorum est, in corporis cõmoditatem & usum cõparata.

III regio etiam plethoræ locus

EVACVATIONVM GENERA, & differentiæ, Caput III.

PRæter communes ac publicas corporis regiones, extant haud paucæ arctiores excrementis etiam subiectæ, sed quorum uitia non sic latè manant, neque in uniuersum

Arctiores regiones excrementorum.

uersum corpus redundant. Hoc genus sunt cerebrum, ute rus, renes, & pulmones. Atq; quum noxij & peccantes humores ab utrisq; identidē detrahi soleant, rectè duas uacuationū differētias constituere uidebor, unam uniuer salē, particularem alteram. Vniuersalis est quæ cōmuniter ab uniuerso corpore materiam subtrahit: huiusmodi sunt sudor uel transpiratio, sanguinis profusio, uomitio, & alui subductio. Harum siquidem quæcunq; primùm obtigerit, quanquàm plurimùm ac ualidè regionē certā, cæteras tamen etiamnū consecutione quadam & parciùs exinaniet. Vomitio primùm quidē ac maximè uentriculū, deinde si persistit, uiscera ipsa uenasq; maiores, postremò corporis habitum expurgat. Alui deiectio primùm & abundè intestina, uentriculum, uiscera, primasq; uenas: deinde uenas maiores, postremò minores habitūq; corporis. Sanguinis profusio primùm uenas exhaurit & arterias illis anastomosi coniunctas: exin corporis molē ipsaq; uiscera, ad primas usq; uenas progreßionē faciēs. Quæ per cutem fit dißipatio, proximè quidem è corporis habitu rapit, secundò è uenis arterijsq; grandioribus, nouißimè ex uisceribus & ex intima corporis regione. Iam uerò particularis euacuatio partem duntaxat aliquampiam excremētorum onere pressam leuat. Quo in genere est cerebri per palatum et nares expurgatio, excreatio quæ pulmonum & pectoris uitia extußit, arenularum aut puris è renibus emictio, sanguinis ab utero aut hæmorrhoidibus profusio. Hæc enim podicē in primis, illa uterū, utraq; uenam cauā expedit: quum aluus balano uel clystere mouetur, aut quæ particulatim ex quouis loco per cutē fit eruptio, huius ordinis habeatur. Vnūquodq; porrò uacuandi genus aliâs per se suaq; sponte, aliâs

Euacuatio duplex:
.I.
Vniuersalis.
II.
particularis.
Iterum dupplex vtraq:
Aut spontanea, aut artifitiosa.

aliâs arte completur. Sponte facta euacuatio, citra ullã medicationem quippiam è corpore profundit, idq; interdum natura duce, quæ dum nos rectè moderatur & integrè ualet, quicquid uitiosè se habet aut superfluit, id omne corpore excludit, estq; tum naturalis & opportuna euacuatio. Interdũ uerò natura imbecillior ignauiorq;, humores non ualens in corpore regere atq; cohibere, eos prorsum diffluere sinit: immò etiam quum robustior ualidiorq; constat, tanta plerunq; copia uel acrimonia lacessitur, ut infesti humores è uasis receptaculisq; suis proprio impetu foras exiliant, naturæ aspernãtes imperiũ. Vtriusq; generis symptomatica, irrita, præter naturam, nulloq; usui est euacuatio, quòd benignus atque salutaris humor pariter cum pernicioso promiscuè, nullo delectu, nullisq; legibus prorũpat. Artificiosam euacuationẽ perhibemus, quæ externi subsidij ope suscitatur. Ea rursum bipartitò scinditur. Vna quippe legitima existit, quæ quod uel qualitate uel quantitate negotium facessit, dũtaxat exterminat. Altera huic aduersatur extraordinaria, qua utilis & qui in nullo uitio est humor exigitur: hæc medentium culpa uel inscitia decernitur, qui neque quod iustum neq; quod idoneũ est perspectũ habẽt. Est insuper extraordinaria, præter methodũ ordinemq; medendi quasi ui facta, eadem etiam coacta nuncupatur, de qua posthac sermo erit. Nos artis exercitatione liberam nec impeditã naturam imitari, legitimamq; uacuationẽ efficere conamur: eamq; solam suprà definiuimus, de qua etiam præcipuè docere institutũ erat. Nõ enim utiles sed eos dũtaxat, qui uiribus incommodant humores educere consiliũ est, ut ab ijs uindicatum & liberũ corpus integra sanitate fruatur. Natura suis duntaxat uiribus maximeq;

ximeq; expultrice, medicus uerò uarijs subsidiorum gene ribus quæ noxia sunt & superuacua demit, atq; illa quidem uaria singulis conuenienter aptat & accommodat. Profundendi quippe sanguinis gratia, uenam aperit aut scalpello aut hirudine, aut medicamentis quæ ora uenarum reserent. Purgationem molitur medicamentis, quæ noxios humores è corpore eliciunt, ac deín eos foras uel uomitione uel deiectione profligant. Vt transpiratione atq; sudoribus corpus exinaniretur, inuenta sunt exercitium, frictio, motus omnis, æstus, balneæ præsertim nitrosæ, sulphureæ aut bituminosæ, et ex accidenti inedia. Per hanc enim dũ nihil offertur alimẽti, insitus calor nostræ substãtiæ plurimùm populatur dißipatq;. Multa insuper attenuantia medicamenta, tum foris adhibita tum intrò sumpta, corpus per halitum sudoresq; digerunt. In uacuationũ familia quæ partibus singulatim attributæ sunt, cerebrũ per nares expurgant errhina medicamẽta, & per palatũ apophlegmatismi, pectus & pulmones expediũt quæ bechica nuncupantur, renes & uesicã diuretica, uteri menses histerica, aluum resoluunt balani & clysteres. Ex unaquaq; demum particula eruptionẽ mouent, adhibita digerentia, suppurantia, uesicantia, caustica, itẽ hirudines, cornua, cucurbitulæ, scarificationes, & ferrũ candens. Hæc igitur præsidia & tanquã instrumẽta medicis excogitata sunt, ad omnes omniũ generũ et partiũ uacuationes: quarum omniũ unà cum præparationibus quæ illas antegredi solent, tractatio hîc nobis ineunda est: luculenterq; explicandũ quo pacto illa, quoq; ordine debent ad artis opera conuenienter afferri. Ita sanè artis pars maxima atq; præstantißima adolescet, & maturitatem quandam assequetur: hincq; elucebit perspicuè uia & ratio

Instrumenta euacuationũ. I. Vniuersalia

Inedia euacuat p accidens.

II. Particularia.

ratio noxios humores subtrahendi, qui certè quamplurimorum morborum causæ fiunt. Quoniam autem in usu exercitationeq; medendi uniuersalem euacuationem particulari anteferimus, operæprecium fuerit de uniuersali hîc primùm sermonem instituere, eumq; à uenæ sectione quæ omniũ est euacuationum simplicissima, exordiri. De uniuersalibus primo agit.

QVID, ET VNDE VENA SECTA UACUET, Caput IIII.

OMnem eũ succum quem uasa complexu suo tenẽt & coërcent, sanguinis nomine dignum habemus, hoc ipso quòd ex illis foras delapsus, frigoris ui concrescat. Quum autẽ quatuor ex succis sanguinis moles tota constet & cohæreat, ijsq; tenui sero perfusis, omnes quidem caloris & concoctionis quæ in iecore perficitur efficientia, ita accuratè exquisiteq; permixti sunt, ut nullus à reliquis ne tantulum quidem disiunctus compareat. Incisa uena idq; patente satis foramine, continendi facultas nequit obliquis fibris tam arctè sanguinem continere ac inhibere, quin is aperta uia excidat defluatq;. Immò etiã si fortè conetur auidiùs complecti atq; supprimere, contractis fibris sanguinem per uulnus uberiùs profundet. Emanat autem nõ seorsum hic ille'ue humor, sed uniuersus sanguis, qualem in uenis haberi commemorauimus. Secta uena (inquit Galenus) humores omnes æquabiliter uacuantur: non enim quemadmodùm purgatio, ita uenæ sectio uitiosum quempiam humorem seligit detrahitq;. Secta quippe uena sanguis motu impetuq; suo prorumpit, nihil quidẽ aut minimũ eum protrudente natura: quod ex ijs conspicuum fit, qui quum optima sint constitutione, uenam tamen interdum iubẽt aperiri. Aut Aph. 17. 2.

si per morbos, dum uitiosa est humorum constitutio, natura uel plenitudinis mole, uel humorum labe lacessita, conatur quæ peccant excludere, nequit tamen patente uena sic ad unguem omnia moderari, ut quod uel redundat uel uitio contaminatum est, id unum dũtaxat per uulnus effundat. In crisi (fateor) nonnunquã infestum humorem concoctione præparatum ab alijs segregat & excludit, idq; sensim & per uias idoneas: quo tempore si uena incideretur, neq; in eam fortasse uiã traduceret, neq; tantulo tempore dũ sanguis sua ui fertur, uitiatum humorem secernere atq; discludere ualeret. Itaq; certa manet & stabilis una Galeni sententia, quæ nulla argumentorum ui conuelli dissoluiq; poßit, præcisa uena omnes humores æquabiliter uacuari. Quòd igitur Auicẽnas ait phlebotomiam bonũ sanguinem rapere, malũ uerò intus relinquere: dumq; metuit ne uena secta æger uel ad biliosorũ efferuescẽtiam, uel ad pituitosorum cruditatẽ perducatur, si omnino de permixtis uenarũ humoribus traditum id prolatumq; est, falsißimum sanè & inconsiderantiæ plenißimum apparet. Neq; enim serũ priusquam bilis, neq; hæc priùs quàm pituita uel melancholia, neq; inutilis et deprauatus humor antequam integer & familiaris elabitur. Hoc ipsum quotidianus rerum euẽtus dilucidè commonstrat. Dum enim sanguis effluit, simplex quidem & uniusmodi iam tum conspicitur: exceptus autem uasculis, proprioq; disperdito calore qui permixtos illos moderabatur, uniuersè cõcrescit, eiusq; partes omnes in suã quæque regionẽ contendũt ferũturq;: serum per summa innatat urinæ haud absimile, bilis tenuis & florida concreti sanguinis pars fit suprema, melancholia subsidet, sanguis rubentior et pituita pallidior media tenent. Atq; hæc

Auic. error

Secta vena, omnes humores æquabilr vacuari. +

hæc quidẽ conspicamur, dum sanguis integer est & laudabilis: ex quibus planum esse potest omnium humorum qui in uenis recõditi sunt, incisa uena æquabilẽ uacuationẽ fieri. Tempestiuũ nunc est demõstremus unde & quibus ex locis uena quæque secta uacuet. Hæc quidem primùm ac maximè uenas maiores, mox consecutione uiscera primamq; corporis regionem, & corporis habitum exhaurit. Quum enim profluens liquidusq; sit sanguis, quisquis secto locò uicinior aßistit, primus quidẽ exilit: deinde qui illi iunctus continuatusq; est, ut deinceps totus non modò è uenis & arterijs, uerumetiã è uisceribus & habitu corporis euadat. Est enim admirabilis quædam continuatio seriesq; uenarum, per quam sanguis sic totus transfunditur, ut patente uia uniuersus plerunq; cũ anima excedat. Fit autem sanguinis per uenas transmißio, dum toto corpore analogia quædam sit & æquabilitas, hinc quidem prouenientes, quòd inanitæ & indiguæ partes fibris oblongis trahant è plenioribus, uel quòd pleniores illis subsidio ueniant: fortasse uerò copia grauatæ in uacuas illas & inanes onus suum deponant: uel quòd fusus & liquidus humor sponte sua decliuiores, inanesq; regiones consequitur, in easq; procumbit. Itaq; uenæ sectio quæcunq; ad indigentiã perduxerit, uniuersum corpus euacuat. Cæterùm non id quidem æqualiter, sed quũ partes ordine quodam sitæ sint, illa profectò priùs magisq; propinquas quàm distantes: quũ etiã aliæ uenæ in alias partes concedant atq; propagentur, uenæ sectio celeriùs atq; ualidiùs partes quæ è directo quàm quæ è transuerso positæ sunt exinaniet. Quod nec Galenus silentio prætermisit, sed hac sententia comprehendit: Venæ sectione uacuationes ab uniuerso animalis corpore fiunt,

Quæ loca secta vena euacuet.

2. de ratione uictus in morbis acutis, cõment. 11.

quãquam nec æquè celeriter, nec similiter ex omni uena. Porrò etiam uenæ sectio humores qui finitimis directisq; locis habẽtur, re uera euacuat, eos autem qui in distantibus & transuersis sunt, reuellit potius & aliò transfert, rarò è corpore ducit & uacuat. Hæc de phlebotomiæ uiribus & potestate tanquam principia, tum argumentis & rationibus stabilire, tum Galeni autoritate & testimonio illustrare mihi uisum est, ad eorum fidem & demonstrationem, quæ deinceps uberiùs fusiusq; proferentur.

DE PVRGATIONIS RELIquarumq; uniuersalium uacuationum uiribus, Caput V.

CAEterùm purgatio quæ uel sponte interioreq; motu procedit, uel externo impulsu & medicamentorum administratione excitatur, non sic æquabiliter omnes, sed aliquempiam uitiosum humorem, nunquam sanguinem purum & syncerum euacuat. Quæcunque medici temporum longinquitate & diuturna obseruatione animaduerterũt purgantia medicamenta, omnia certè peculiarem & sibi proprium humorem eligunt, huncq; segregant ab alijs, ac demum ex corpore exterminant exiguntq;, alia quidem uomitione, alia deiectione: rursumq; alia duntaxat ex uentriculo & ex primis uenis, alia præter has etiam ex maioribus, alia denique ex habitu corporis, quæ maximè corpus uniuersum exinaniunt. Præterea non modò unicuique humori, uerumetiam singulis partibus expurgandis, propria quædam quasi addicta atq; consecrata inuenerunt, atque ex his alia benigna, alia maligna, quemadmodum posthac plenißimè trademus. Inter ea porrò quæ per halitum digerunt, mollis

multaq; frictio, corporis summa excalfacit, cutis spiracula laxat dilatatq;, quibus ex causis humores per corporis summa diffusi incalescunt, extenuantur et colliquefiunt, qui demum sponte sua dißipantur & euolant. Hæc autem dum frictio confert, neque reliquum corpus, neque humores intus ac penitus abstrusos insigniter conturbat aut exagitat. Vnctio calida eadem planè efficit, sed ualidiùs, adeò ut etiam quasdam tum exagitandi tum dissipandi uires obtineat. Intro siquidem altiùs penetrans, non modò cutem laxat, uerumetiam corporis particulas & humores attingit, quos calfacit, extenuat, disperditq;. Exercitatio nullum extrinsecùs corpori calorem infert, sed ingenitũ nobis et intimum exuscitat, qui deinde quoquouersum effusus, corpus humoresq; calfacit, unde alimenti concoctio, distributio, nutritioq; felicior. Exercitatio corporis spiracula laxat & aperit, humores extenuat, mollit, colliquat & diffundit, ac quodammodo efferuere facit, adeo ut sua illi uasa exporrigant, impleant, ac demum quasi turgentes & ui impulsi è corpore exiliant, aut quia uenis non amplius contineri possunt, impetum in partem aliquam faciant. Eadem spiritus concitat & per corpus impellit, qui deinde impetu ualentiore ductus uiasq; expurgãt & superuacua depellũt. Itaq; exercitatione non exigua incidit corporis humorumq; perturbatio, quum potißimùm uehemẽs illa capitur. Balneum dulcis aquæ multò potentiùs madore caloreq; suo spiracula laxat remittitq;, humores calfacit, extenuat, colliquat, fluxosq; reddit, ac demum non modò è summis, uerumetiam ex intimis corporis regionibus foras euocat & elicit. Quoniam igitur corpus omne æquabiliter calfacit & exagitat, humoresq; fundit & concitat, ex his

tenues dißipat: craßiores uerò quos non discusserit, commouet perturbatq; adeo, ut plerunq; in partem aliquam imbecillam uel morbo laborantem confluant, idq; maximè siqua plenitudo inest uenarum. Commoda autem affert, dum quicquid in corpore uel fuliginosum uel fumidum fuit, euacuatur: cutis et carnis consistentia manet, solidarum partium ariditas corrigitur oborto madore, idq; maximè quibus nullius uisceris imbecillitas subsit: quibus crudi humoris multitudo in primis uenis non continetur, quæ in omne corpus rapiatur: & quibus inter administrandum nullus horror incidit, ex quo febris accendi poßit. Tantò autem manifestiùs atque ualidiùs hæc efficit, quantò uel natura uel arte calidius fuerit, cuiusmodi est sulphureum uel nitrosum, uel quod quorundam permistione medicamentosam uim accepit. Aestus qui uel ab ambiente nos aëre uel à thermis existit, eadem quæ balneum efficit, ac simili ratione humores è corpore per halitum cutemq; dißipat. At uerò multò magis exiccat & incēdit: quumq; non solùm corpori extrinsecùs occurset, uerumetiam intrò respiratione sese insinuet in cor & in omne corpus effusus, impēsius sanè ac ualidiùs quàm balneum humores corpusq; affligit atque concutit. Quæcunque intrò sumpta humores sudore digerunt, eos sanè uel calfaciunt uel extenuant, tum deinde in summa corporis impellunt secumq; rapiunt, dum foras exiliant. Id si sola caloris uehemētia præstant, ut dia triωn piperεωn, diacalaminthe, corpori atque humoribus nō parum incendio suo incommodant: at si sola substantiæ tenuitate & penetrandi ui sudores mouent, ut oxymeli, præterquam quòd euacuant uix alia offensione corpus afficiunt. Inedia nullam in se uim caloris obtinet, sed quoniam necessarium

corpori

Quæ humores sudore digerūt.

corpori alimentum subtrahit, tum naturalis calor incenditur, qui nunquam uim suam intermittens, humores crudos concoquit & extenuat, coctos depascitur, tenues dissoluit, acres incendit. Quibus ex causis corpus incalescit, si quidem modica est: nam immodica dum caloris substantiam dißipat, corpus etiam refrigerat. Eadem crassos humores extenuans, extenuatosq; digerens disperdensq;, obstructiones expedit, corpus exinanit & uacuat non modò per halitum, uerumetiam luculentiùs plerunq; per urinas et aluum. Atq; has certè uacuationes natura præparatione per inediam adiuta atque recreata molitur. Hæc blandè ac sensim citra ullam corporis & humorum uehementem impulsionem inedia confert: cæterùm uigilias, inquietudinem, stomachi erosiones, uiriumq; dissolutionem parit. Quæcunq; ex his causis mediocritate quadam consistunt, natiuum calorem exuscitant, utilesq; accedunt: immoderatæ uerò corpus infirmant & extenuãt, neque solùm superuacanea, sed & quæ salutaria sunt & utilia pariter exterminant, debẽtq; inter uacuandi præsidia recenseri.

Inediæ.

PLETHORAE VENAE SECTIOnem, cacochymiæ purgationem deberi, Caput VI.

Optima maximaq; artis medendi uis in causarum cognitione, earumq; depulsione uersatur. Humorũ autem uitia nondum morbos sed morborum causas esse, alio in loco demostrauimus: quamobrem istorum uacuatio summa & eximia artis pars sancietur. Plethora salutarium & utilium succorum est redundantia, quæ maximè

quidem in uenas maiores, hinc in minores, illinc in uiscera, in musculos, atque omne corpus longè lateq; diffunditur. Atqui hisce potißimum ex locis sectam uenam educere proditum est, non quidem seorsum hunc illum'ue humorem, sed sanguinis uniuersam molem ex omnium humorum confusione permixtam: illamq; duplici ratione uniuersalem euacuationem appellari, quòd uniuersam humorum multitudinem, quodq; ab uniuerso eam corpore deriuet. Quocirca educendæ plethoræ unicum ac propriũ remediũ statui debet uenæ sectio, quo nullum certè accommodatius, & cuius uim nullum purgantis medicamenti genus imitari, nedum assequi ualeat & exæquare. Si quæ eius sunt facultatis, ut apertis uenarum osculis sanguinem abunde profundant, quum certè uires scalpello quodammodo pares obtineant, non inter purgantia, sed inter ea quæ sanguinẽ educunt annumerari debent. Neq; uerò si ex compluribus medicamentis unum componas, quod tribus humoribus expurgandis sit idoneum, id conuenienter plenitudinem minuet, sed à sola uenæ sectione hoc genus auxilij petendum. Inediæ uel exercitia multitudinem æquabiliter quidem demunt, at non repente: sensim enim ac leuiter id adeò præstant, ut urgentium acutorumq; morborum promptum expeditumq; remedium esse nequeãt, neq; illorum curationi satis esse. Adde per inedias utilem familiaremq; succum ardore caloris extorreri, permutariq; succorum bonam constitutionem, omniumq; nisi fortè crudorum benignitatem perire. Quum itaq; plethora bifariam dici consueuerit, uno modo simpliciter & absolutè, altero comparatè: quæ absolutè dicitur & uasa supra modum implet, maximè quidem ac præcipuè uenæ sectionem deposcit, neque alio uacuandi genere

Inedias & exercitia plethoræ no sufficere.

plethoræ simplr & absolute, phlebotomia conuenire. i. quo ad uasa,

genere tutò demi poteſt. Si igitur quiſpiam bene temperatus, cui ex alimẽtis boni ſucci probè concoctis uenæ extra modum turgeant, & æquabilis redundantia tenſionis ſenſum exhibeat, adeo ut periculum impendeat, ne uel tumida inflatáq; uaſa dehiſcant aut diſrumpantur, unde partium inflammationes & hæmorrhagiæ obtingere ſolent: uel oborta uniuerſalis quædam obſtructio inſitum calorem ſtrangulet, reſtinguatq; uires alioqui ualentiſsimas, unde febris ardentiſsima uel repentina mors irruit: ab his certè malis impendentibus, neque medicamentum, neq; inediæ prohibere poſſunt. At ſi ſecta uena plenitudo ad mediocritatem redeat, dolores ex tenſione placantur, corpus graui pondere leuatum erigitur, & quaſi recreatũ alacris expeditiusq; fit ad functiones omnis generis obeundas: eadem inſitum calorem liberaliùs uẽtilans, reſeransq; arctiores uias & ſpiracula corporis, morbos arcet in quorum diſcrimen id adducebatur. Quòd ſi iam fortè hi morbi per incuriam inſederint, uenæ ſectio immodicam plenitudinem ſubtrahens, efficit ut natura iam dominatrix & expedita pondere, reliquis humorum uitijs deinceps imperet, idq; concoquat quod ſibi reddere poteſt familiare, expellat quod prorſus inutile, et nũquã poſthac futurum eſt idoneum. Quinetiam ſiquis morbus ex plenitudine in quampiam partem inuaſit, illa influentem etiamnum humorem & uacuat & in diuerſum reuellit: eum uerò qui iam influxit, deriuat in latus, hocq; modo prorſus morbum depellit. Cæterùm quoniam plenitudo quæ ad uires refertur, neque uaſa diducere aut diſrumpere, neque ingenitum calorem de repente obruere ſolet, non ſic primo quoque tempore et neceſſario uenam tundi expoſtulat. At quia imbecillæ uires opprimuntur, neque illinc

exm.

plethora qũ ad vires, diuersa conueniunt.

illinc putredo alia'ue humorum corruptela emergat, commoda quidem & conducibilis interdum est modica sanguinis emißio. Veruntamen si morbus necdum adest nec instat, ea plenitudo minuetur commodiùs inedijs, moderata exercitatione, atque ijs quæ ad concoquendum iuuãt, maximè autem si sanguis nulla corruptionis labe conspersus est. Sic in pestilenti cœli constitutione, aliâs tenui uictu, aliâs uenæ sectione sanguis infra modum adducendus est, ut paucum natura purius conseruet, nec tam facilè à putri cõtagione labefactari sinat. Quum autem iam morbi contracti sunt, ut ephemera ex obstructione, et synochus sine putredine, tutò sanguis ad præcautionẽ mittetur, ne ægrotus in putridam febrem incurrat. Licet enim nondum uenæ copia turgeant, obstructionis tamen uel febris præsentia sanguis est immodicus. Quinetiam siqua inde leuis & exigua corruptio atque mutatio nascetur, mittendus est sanguis. Huius quippe quadam uacuata portione, qui reliquus est in suam naturam redit, atque in integrũ restituitur. Sin uerò tanta incidet corruptio, quæ naturæ uiribus atque beneficio emendari non poßit, quoniam ea iam tum non ad plethoræ, sed ad cacochymiæ genus pertinent, non utique uenæ sectione sed sola purgatione tolletur, quæ peculiare est cacochymiæ remedium. De hoc tamen summa medicorum dissensione certatur, sit'ne cacochymiæ demendæ sectio uenæ etiam utilis & accommodata: quod uarijs disputationibus huc illucq; tractum, paucis illustrare & patefacere connitar. Humorũ uitia aliâs in prima corporis regione, aliâs in uenis aut corporis habitu coguntur & coaceruantur. Primæ regionis cacochymiam una expurgatio, non item uenæ sectio utiliter eximit, quod tum uitij tum loci natura docet. At

Utrum cacochymiæ conueniat sectio venæ.

de ea

de ea quæ citra plenitudinem sanguini permiscetur in uenis, hæsitandi dubitandiq; occasio maior. Isthæc uerò omnis ambiguitas explananda. In uenarum cacochymia siue unus siue multi humores uitiosè se habent, id perpetuò medentis consilium est, eum ipsum qui uiribus incommodat eripere, alijs qui nihil peccant, si fieri potest, adseruatis in naturæ robur & usum. Atqui uenæ sectio omnes æquabiliter, neque putridum quàm benignum potius, neque utili manente inutilem aufert. Non igitur quo uolumus auxilio succurrit. Si cui totus uenarum sanguis ardentißimus sit atque biliosus, aut totus in melancholicum humorem uersus appareat, neutri profectò secanda est uena, quemadmodum neque cui nimio opere pituitosus et crudus, in uenas, in habitumq; corporis effunditur. Sic enim Galenus tanquam lege uetat ei uenam incidere, cui sanguinis moles plurimùm à qualitatis mediocritate receßit, aut cui (si permixtos humores conferamus) bonus ac purus sanguis paucus est, reliquus uerò succus plurimus. Sed hanc humorum constitutionem denuo expendamus, quæ planè uitiosa est & plurimorum morborum causa. Secta uena nihil illam planè mutat, sed una eademq; perstat humorum proportio. Copiam (scio) adimit, sed quæ tum non erat immodica: cacochymiam quæ peccabat non sustulit, manetq; qualis antè fuerat humorum impuritas: non igitur peccati uitio succurrit, idq; duntaxat præstat quod uires offendit. At (inquies) noxij et inquinati humoris nonnihil abducit, quo quoniam ægrum quasi onere leuat, quod reliquum est natura faciliùs perferet, idq; citiùs minoreq; negotio uincere poterit atque conficere. Venæ sectionem nonnihil equidem fatebor uitiosi humoris eripere, at non eum separatum ac simplicem, sed pariter

4 de sanit. tuenda.

I. Obiectio eorum qui dicunt phlebotomiam magis convenire quam purgationem

ter

ter non modicam purioris utilisq; sanguinis portionem. Dum itaq; corporis pabulum subtrahit, quo exiguo tanquam thesauro natura utebatur, seq; conseruabat, illius certè robur uehementer dissoluit. Ex quo intelligitur naturam imbecilliorem factam nihilo faciliùs quod reliquũ est concoquere. Neque uerò inficiamur ægrotum interim à quibusdam symptomatis, ut à siti, ab insomnijs, à capitis dolore, ob detractum calorem leuatum iri, ueruntamen inducta uirium imbecillitate, par eademq; perstat morbi substantia. Si deposita oneris quadam portiòne idem uirium robur æger retineret, conueniens utiq; & idonea censeretur uenæ sectio: id uerò præstare haudquaquam potest. Cæterùm purgatio quæ præsertim medicamentorum benigniorum subsidio promouetur, id ipsum multò commodiùs præstat & exequitur, ut quæ exacta duntaxat superuacui humoris parte, uires haud perinde offendit, atque parilis & simili proportione facta uenæ sectio. Quandoquidem purgatio uitiosum humorem detrahens, uires hoc uno nomine lacessit, quòd corpus exagitet & nonnihil spiritus eliciat. At uenæ sectio corpus uniuersum perturbat, spiritum abundantiùs apertiusq; exhaurit, ac præterea utilem sanguinẽ profundit. Quocirca in simplici cacochymia uenæ sectio multò grauiùs uiribus incommodat, quàm purgatio. Galenus ijs qui uel ætatis uel uirium ratione sanguinis emissionem nõ ferunt, uberiore purgatione aluum solicitat, innuẽs profectò & indicans offensionem, quam uiribus medicamẽta afferũt, longè inferiorem haberi ea, quam uena secta cõcitat. Iam si in morbis ex plenitudine, quũ robur aut ætas impedit, purgatio uenæ sectioni præfertur, quãtò magis in ijs quos simplex cacochymia protulit, debet antecellere? Vena intempe-

intempestiuè secta, spiritum pariter cum sanguine exhaurit, ingenitum calorem eripit & dißipat, principes partes adeò refrigerat & extinguit, ut quasi eneruatæ et debilitatæ languescant: hinc hydrops, cruditas, cachexia, aliaq; incommoda, quæ nequaquam par ulla purgatio ferret. At (inquiunt) acriores humores dum exturbantur, corrodunt, doloribus, torminibus, alijsq; angoribus conficiunt, unde laborans affligitur uehementer, & quasi exanimatur. Hæc equidem pusilla censeo, ut quæ continuò dispareant & uanescant, ijsq; disperditis uires sponte sua quàm mox sese colligunt & releuant. Sectæ autem uenæ incommoda, quibus uirium robur propriaq; substantia dißipatur, non facilè redimi repurariq; possunt. Grauius enim est uirium substantiam disperdi, quàm concuti. Obiectant præterea ex medicamento, aliâs immodicã, aliâs exiguam aut nullam deiectionem moueri. Hæc si quando incident haudquaquam medicamento, uerùm medici adscribam inscitiæ, qui neque occasionem, neque quod satis est perspexit: quo genere multò sæpius atq; grauiùs in uenæ sectione peccatur. Est ubi Galenus phlebotomiam tutiorem purgatione statuit, quod de ea nimirum accipiẽdum est, quæ malignorum medicamẽtorum effrenata uiolentia completur. Hæc quippe os uẽtris in primis neruosum & sentiens offendunt, & uenenata qualitate quæ nostræ naturæ prorsus est infensa, partes principes labefactant, corpusq; uniuersum polluunt atque peruertunt. Cæterùm quæ benignis medicamentis suscipitur purgatio, longè tutior est & blandior, minusq; uirium substantiam ferit. Intempestiua sanguinis effusio plures repente sustulit, quàm quæuis adhibita purgatio. Ergo quoniam cacochymiæ comes est, uirium infirmitas & humo

rum

II.

III.

ubi quo gal: pferat phlebotom: ipsi purgatio

purgatio phlebotomia tutiore esse probat.

rum impuritas, proprium ac legitimum illi remedium afferet purgatio, aut siqua forte uenæ sectio adhibetur, ea non nisi coacta & extraordinaria esse potest. Quapropter quotiescunq; in uenis maioribus sanguis admodum pituitosus atque crudus deprehenditur, qui scilicet synceri illius atque puri exiguum, pituitæ uerò plurimum contineat, simulq́; corporis habitus aut ab ortu, aut ex uiuendi consuetudine pituitosus euaserit, secta uena tantùm abest uitium demat, ut etiam corpus iam frigidum exempto sanguine atque spiritu uehementiùs refrigeret. Hinc calore perquàm attenuato concoctio interpellatur, cruditates accrescunt, frigidioresq́; morbi irruunt, qui tandem uim faciunt extinguuntq́; calorem: eaq́; ratione in cruditate præcisa uena malum conduplicat. Idem ferè ij experiuntur, quorum efferuescens & biliosus est sanguis, aut in eius mole syncerus ille paucus est, bilis uerò redũdat: atque totus etiam corporis habitus, aut natura, aut uiuendi consuetudine biliosus comperitur. His siquidẽ non nisi magno uiriũ detrimento uenã incideris, quãdoquidẽ sanguine illo puro ac laudabili qui paucus erat, unà cum bile profuso, corpus quod alioqui parum alebatur ac cõtabescebat, (biliosis enim ferè magna comes est corporis extenuatio) necessarijs causis in maximã penuriam adigitur, ut uel in atrophiam, uel in marasmum, uel in aliud periculum grauius incurrat, idq́; maximè si illi constitutioni morbus, qualis est icterus uel tertiana exquisita, iam implicatur. In habitu demum corporis melancholico, qui uel natura, uel externarum causarum aßiduo usu talis euaserit, improbatur uenæ sectio, & tanquam inutilis prætermittitur. Non enim melancholicum potius quàm alios humores, neque citra damnum & cor-

poris

poris iacturam abducit. Si naturalis est melancholia, detrimentum par & æquale ei existit, quod in habitu pituitoso attulimus: sin uerò atræ bilis speciem gerit, eadē quæ biliosum habitum sequentur incommoda. Atque hæc eò luculentiùs in conspectum sedebunt, quo cumulatiore mensura in cacochymia sanguinem detrahimus. Qui uel iudicij uel artis inopia, nequeunt internoscere, quibus affectibus uenæ sectio, quibus purgatio sit afferenda, nequid fortè grauioris dāni laboranti inferant, constantibus etiā uiribus exiguas uacuationes uenæ sectione decernunt, quas si non utiles, at certe tanquam parum nocituras, nō uerentur omni morbo omniq; humorū uitio adhibere. Hi quanquam reuerentia quadam pauloq; prudētiùs, quàm rudes pleriq; & temerarij se gerūt, præsidij tamen simulatione & inani ostentatione potiùs quàm effectu ignorationem suam tegunt. Verùm non eiusmodi fucata & adulterina, sed quæ opem ferant uera & expressa remedia aucupamur: non enim satis est nō nocere, uerumetiā ægrotos subleuare cōsilium est. Quod ut fiat, suum cuiq; uitio peculiare & consentaneū remedium afferemus: & quocunq; tempore puræ & exquisitæ eiusmodi cacochymiæ inciderint, siue putredinis participes, siue illius expertes, siue cum febre, siue solitariæ fuerint, uena neutiquam incidetur, sed hoc genus uitij sola purgatione demendū. Si qui fortè ex ueteribus diuersum censuisse uidebuntur, & quandoq; pituitam, bilem, aut melancholiam, uena secta emittere siuerunt, non erat tum simplex cacochymia, sed cuidam plenitudini complicata: aut fortasse quorūdam symptomatum rationē habuerunt, quæ ui sua & atrocitate id extorquerent. Nos autem superiora hæc omnia de cacochymia quæ seorsum cōsistit præcepimus: ut hactenus

In Complicata κακοχυμία cū plethora qd agēdū.

ut hactenus de simplicibus duntaxat humorum uitijs disputatum sit, quibus unicum euacuationis genus legitimè succurrit.

MIXTIS HVMORVM VITIIS utrunque uacuationis genus adhibendum, & quo id ordine, Caput VII.

HVmoribus sæpe uitium inest ex plenitudinis et cacochymiæ permixtione conflatum, in quod plurimi delabuntur, quicunque prauam constitutionem sortiti uenas crapula supra modum refersērūt. Immodica autem plenitudo, in qua nimirum musculorum inest soliditas, uenarum amplitudo & earum expletio, ex quocunque illa sit humore contracta, omnis certè uenæ sectionem desiderat, ut quæ proprium est demendæ plenitudinis auxilium. Grauem enim periculosamq; multitudinem illa tutò ac repente imminuit, qualiter nec inediæ nec exercitia, nec aliud ullum genus uacuandi posit efficere. Verùm circumspectis diligenter rebus omnibus hoc negotij aggrediendum, æstimandaq; humorum qui in uenis accreuerunt differentia. Quum enim alterutra plethora insidebit, sanguis quidem largiter profundetur, dum ad mediocritatem redigatur. Hoc unum subsidium grauatas uires facilè citraq; iacturam leuat & recreat: neque ulla tum purgatio ex usu est. Cæterùm quum impuriore sanguine uasa implentur, estq; ex multitudine & cacochymia permistū uitium, utrunq; uacuationis genus conueniet, idq; constitutionis ratio feret. Itaq; quum qui uenas implet sanguis ardentior est, aut multa bile profunditur, quamquā ab optima mediocritate longo interuallo recessit,

ſit, eliciendus tamen eſt, idq; parcius et reſtrictius quàm in ſimplici plethora, eouſque ſolùm dũ plenitudinis pericula uitentur: reliquæ enim impuritati nõ uenæ ſectio ſed purgatio eſt accõmoda. Ad hanc quidẽ ex detracta multitudine corpus cõuenienter præparatur, tũ quia refrigeratũ eſt, tũ quia metus perturbatiõis uel obſtructionis augẽdæ adẽptus eſt. Melancholica plenitudo qua naturæ inclinatione ſanguis in melancholiã propendet, aut influẽtis melancholiæ uitio contaminatur, antequam expurgetur uenæ ſectione minuẽda eſt, parcius tamen quàm bilioſa plenitudo: quum enim non immoderatè calida cenſeatur, illi refrigerium calorisq; detractio non parum incõmodat, bilioſæ autem proficit. Pituitoſa plenitudo omnium certè maximè ſanguinis emiſsionẽ auerſatur, et quod uiriũ imbecillitas magna ex parte illi comes eſt, & quòd frigore non mediocri pollet. Quo fit ut in hac uenæ ſectio plurimùm officiat, quam qui decernet, reliquã cruditatem uix unqnam concoquet, eritq; metuendum ne ægrũ interitus diſcrimini obijciat. At certè quoniam ea ſeſe minuendam indicat, parcè quidem & ſenſim ac partitè id faciendũ, prout uires facilè ferent: ſic enim plenitudinis ſuſpecta incommoda declinabuntur, & ad reliquam purgationem aditus patebit. Ex quo nunc totum illud concludi ſic licet, cuiuſcunque generis plenitudinem uena ſecta demi, ſed qua ſanguis aliâs parcius, aliâs abundantius pro humoris permiſti ſpecie detrahetur. Neque uerò ſola cacochymiæ ſpecies ſatis eam quantitatem præfiniet, ſed præterea cacochymiæ uis & menſura etiã atque etiam expendenda, quod aliquando paululum, aliquando multùm adaucta ſpectetur. Quæcunque plenitudo aut bilis alterutrius aut pituitæ modica cacochymia

labefactatur, ut simplici plenitudini maximè cognata & affinis est, sic antè quidem sanguis detrahendus idq; abũdè, tum aluus moderatè deijcienda, ut noxius qui superest humor expurgetur. Sin uerò maior cacochymia compareat, & tunc item sanguinis mißioni primas concedemus, sed quæ quàm superiore constitutione sit parcior: mox deinde largiùs purgandum, dum idoneo medicamento infestus humor excedat. Iam si sors tulerit in uasis pares uires plenitudinis & cachochymiæ deprehendi: ab utrolibet uacuationis genere cuipiam uideri posset nullo delectu inchoandum. Veruntamen quum nimia uasorum plenitudo obstructiones excitet, atque iccirco purgationibus obsit, quum etiã medicamentum & calore & trahendi facultate humores exagitet, perturbetq; corpus, id sanè si plethoricum est, in grauius discrimen adducit: quocirca tum uel Galeni testimonio uenæ sectio præmittenda est. Quum enim par insit remediorum necessitas, ipsa medẽdi ratio ab eo exordium ducere iubet, sine quo alterũ tutò exequi non ualemus. Imminuta plenitudine, quæcunque putrida aut aliter inquinata superant ac residẽt, per aluum, urinas & sudores exhaurire tentandũ. Quinetiã ubi cacochymiæ plenitudinis uim superauerit, à uenæ sectione ineunda est uacuatio: sed parcè sanguis educendus, eoq; parciùs, quò magis cacochymia inualuerit. Quoniam autem in ea constitutione parum firmæ solent esse uires, non semel & uniuersè, sed sensim & partitè emittẽdus est, eo modo quem posthac explicabimus. In eo cacochymiæ genere quandoq; commoda & utilis est uenæ sectio, at minùs sæpe necessaria: proinde nisi uenæ supra modum confertæ sint, graueq; periculum impendeat, phlebotomiæ uicaria erit purgatio leuis, eaq;

frequens

frequens et iterata: maximè (inquit Galenus) si æger uenæ sectionem perhorrescit. Itaque cacochymia plenitudini implicata, primùm quidē uenæ sectione, mox purgatione: simplex uerò & solitaria, purgatione sola præciditur. Hæ quidem præceptiones humorum uacuationi prorsus accommodantur, qui in uasis aut in uisceribus consederunt: ad quas profectò tanquam ad legem & regulam, omnium morborum quos mox afferemus uacuationes dirigendæ, atque illinc prorsus iudicandæ sunt.

SINGVLORVM MORBORVM, quibus uel præsentibus uel futuris secta uena succurrit, enumeratio, Caput VIII.

Quibus humorum uitijs opituletur accommodataq; sit uenæ sectio, suprà quidem plenè attulimus: nunc morbos par est singulos persequamur, quibus etiam eaipsa succurrit, ut cumulatè tum ex morbi genere tum ex causa illius quæ humoris est uitiũ, planum fiat quanta præsidij huius commoditas, quantũq; emolumentum habetur. Est igitur primum hoc generale præceptum, uenæ sectionem morborum omnium quicunq; ex sanguinis affluentia & ubertate, uel ex quauis illius eruptione ortum acceperunt, propriam conuenientemq; medelam esse, siue præsentes ij sunt siue duntaxat imminent. Eius autem generis maximè sunt, & ortus sui causam inde habent, synochus febris, tum ea quæ citra putredinem ex sola fit sanguinis efferuescentia, tum quæ ex putrescēte accenditur. Partium affectus hi ferè extra uasa collecto præter naturam sanguine proferuntur, phrenitis, ophthalmia, parotides, angina, pleuritis, peripneumonia, Synocha. phlegmone.

monia, iecoris, lienis, renum, uteri, pudendorum, inguinũ, alarum, brachiorum, crurum, articulorum, omniũ deniq; tum interiorum tum externarum partium inflammationes, dictæ Græcis phlegmonæ. Fiunt enim dum aperta, rupta uel exesa uena, dilapsus sanguis in partem abscedit, abundantiorq; congestus tumorẽ parit. Istis finitimi sunt, sputum sanguinis incipiensq; tabes, sanguinis uomitio, & è naribus, ex utero uel hæmorrhoidibus eruptio. Per horũ initia statim uena opposito loco tusa, fluxionis impetum sistit, reuulsiõisq; ui nõnihil ex affecta parte reuocat. Est igitur uenæ sectio legitimũ ac propriũ istis remediũ, ut qui ex boni laudabilisq; sãguinis plenitudine ortus sui primordia acceperũt. Qui ex impuriore plenitudine emerserunt, ut sunt istis plurimùm cognati, ita & uena secta curari desiderant. Eo genere cõprehensæ tenentur febres putridæ, tum continuæ tum intermittentes, in quibus scilicet putredinis atque obstructionis præcipua, aut certè adiuuans concomitansq; causa fuerat immodica plenitudo. In hoc præterea genere partium affectus isti consistunt: capitis et aurium pulsans dolor, lethargus, uertigo, apoplexia quædam & epilepsia, acris mordaxq; fluxio, cordis quædam palpitatio, arthritis calida, & quicunq; ad horum naturam atque conditionem pertinent. Sed id hoc loco inuestigatione explicationeq; dignum statuimus, nũ putridæ febres omnes cuiuscũq; sint ordinis, uena secta curentur. Galenus quidem saluberrimũ esse ait in febribus uenam incidere, non continuis modò, uerumetiam omnibus quas putrescens humor concitat. Cæterùm non omnes hîc una comprehensione complecti uideri poßit, sed eas duntaxat quarum obstructio ex multitudine & immodica copia proficiscitur: hanc enim paulò antè in hypothesi

An ões putridæ febres phlebotomia curari possint.

hypothesi unam febriũ causam proposuerat. Veluti(inquit) quum ex obstructione glutinosi & crassi humoris putredo oritur, cui comes est redundantia toto corpore. Redundantia enim cum glutinosis & crassis humoribus obstructionis est causa. Hanc sequitur transspirationis retẽtio, quam rursus putredo humorum excipit, ipsa uidelicet febris continẽs quædam causa. Ergo qui febrẽ curare uolet, necesse est putredinem inhibeat: id autem fiet ijs præsidijs quæ obstructioni medentur. At uerò si ijs quæ obstructiones eximunt uti non uacuata prius abũdantia uelimus, non modò nihil proficiemus, sed etiam affectum maiorem reddemus. Vacuata igitur priùs multitudine, deinde ad curandã obstructionem accedemus medicamentis quæ infarctus expediunt. Hoc itaque uerborum contextu eas duntaxat febres Galenus attigit, atque pro exemplo supposuit, quarum causa ex plenitudine nasceretur: in quibus profectò saluberrimum esse ait uenã incidere, ut natura leuetur ea plenitudine qua ueluti sarcina premebatur. Cæterùm quoties obtigerit infarctum ex quo febris accenditur, alijs quibusdam ex causis enasci, nulla profundendi sanguinis necessitate compellimur. Nam(inquit alio loco) obstructionum ipsarum aliá ex abũdantia, alia ex qualitate succorum qui scilicet aut lenti aut crassi sint, incidit. Præfertur autem inter remedia, in ea quam copia facit, sanguinis missio: in ea quæ ex humorum qualitate consistit, attenuantium usus. Vbi autẽ quæ obstruunt detersa dissectaq; sunt, per aluum, urinas & sudores ea uacuare tentandum. Si locus permitteret, plura huc afferrẽ de exquisita tertiana, de febre ex cruditate, deq; alijs compluribus in quibus uetat omnino uenam incidere, perspicuè innuens & indicans non hoc esse omni-

Vbi non conuenit sectio venæ.

um febrium commune remedium. Ergo non simpliciter ex solius febris, uerũ etiam ex causarum obseruatione de uacuandi genere est statuendũ. Iis quos numerando percensuimus affectibus congruit accommodataq; est uenæ sectio, non modò præsentibus sed etiam uenturis: quandoquidem præsentium atque futurorum una communisq; est ratio medendi. Quæcunque (inquit Hippocrates) morbis præsentibus rectè peraguntur, sunt aut incipientibus aut imminentibus præmittenda. Vt igitur ad creatæ iam phlegmones curationem sanguis emittitur, sic & illius impendentis periculum arcemus & præcauemus eodem præsidio. Citra multitudinem uel etiam in penuria interdum uena inciditur, dum à causis externis, quales sunt contusio, dolor, ardor, in aliquampiã particulam sanguis rapitur & incũbit, quod certè exequimur non præsentis, sed incipientis uel imminentis una morbi magnitudine æstimata, utq; minitantis phlegmones metum subtrahamus. Quinetiam in plenitudine modica quæ nondum ad extremam tensionem peruenerit, si quis morbis ex sanguine anniuersarijs aut crebrioribus corripi solet, anteuertere oportet, et morbus prohibẽdus est uenæ sectione. At multò magis quum immoderata plenitudo formidinẽ atque discrimẽ inijcit, uel ruptionis apertionisq; uasorũ, uel suffocantis obstructionis, sanguis omni abiecta cunctatione emittendus, tametsi nondum ægrotat homo, maximè uerò si qua aut mariscarum aut mensium aut nariũ, sanguinis consueta uacuatio substitit. Quoscunq; ita constitutos uenæ sectione à futuris & impendentibus morbis tueri incolumesq; seruare connitimur, oportet omni deinceps tempore conuenienti uictus ratione moderari. Intemperantes siquidem & uinosi phlebotomiæ fructus & commoda

Phlebotomia propter cãs externas.

Diæta post sectiõ facienda. Intemperãtis. n. nil pfert.

commoda minimum sentiunt, quinimo ab ea plerunque læduntur, dum bidui tridui'ue spacio sese magis quàm antè crudioribus succis referciunt. Tantum igitur momenti ac ponderis obtinet moderata uictus ratio ad morbos declinandos, ut citra hanc nullo subsidio sit uenæ sectio. His itaque modis, quos recensui, uenæ sectio uenturos morbos arcet atque propulsat. Neq; uerò sola mißio sanguinis plethorã subtrahit & diminuit, sed etiam balneum frequẽs, exercitatio, frictio, unctio calida & inedia: quibus certè omnibus summa uis & facultas exinaniendi tributa est. Cæterùm his non citra delectũ utemur. Quæcunq; enim plenitudo maxima fuerit, & uenas quoquouersum distendet: aut moderata quidem, sed quæ uel febrem uel phlegmonen præsentem iam habet: aut quæ ex mensium, mariscarum alia'ue sanguinis consueta eruptione suppressa proficiscitur, ea nec exercitatione, nec multa frictione, nec unctione calida, nec balneo sine discrimine abigi curariq; potest. Hæc enim uacuandi genera quia humores exagitant, pariter fluxionis impetum excitant ac mouent, morbosq; ex plenitudine inuehunt & augent. Neque præterea inedia urgentibus illis utiliter & ut decet repente succurrit, ut quæ non nisi tempore dierumq; numero exinaniat. Adde quòd morbis præsentibus inedia uigilias affert, incẽdia, inquietudinem, erosiones, nauseã: unde ad morbum plerunq; addit & uirium deiectionem. Quocirca illis expediendis utiliter adhiberi non potest, sed ad unius phlebotomiæ facultatem confugiendum, quæ citra molestiam promptè celeriterq; uacuat, humorum acrimoniam reprimit & refrigerat, uiribus aut nihil aut minimum offensis. Cæterùm quum moderata uel exigua plenitudo inest, sine febre, sine phlegmone, sine alio deniq;

morbo comite, neque usitata sanguinis effusio cohibetur, omnibus iam dictis uacuãdi generibus uti licebit, optimo quoque ad id quod instat electo, & pro rei commoditate adhibito. Quæ enim eius generis est plenitudo, non magnopere uacuationem maturare cogit: quocirca minutatim & sensim quibusuis illa remedijs expugnari demũq; potest, maximè uerò inedia, quæ totius corporis abundãtiam citra ullam exagitationem, et citra uirium manifestam iacturam minuit. Hoc autem loco existit dubitatio anceps & subobscura, utri magis ex usu sit uenæ sectio, præsenti ne morbo an imminenti. Auicennæ quidem opinio fert imminenti tutiorem esse, incipienti uerò prorsus inutilem ac planè aduersam. At re uera quum morbus uel incipit uel penitus insedit, illum uel profligare uel certè placare deprehẽditur uenæ sectio: qua ex re non infimũ præsidium curandi morbi illa debet haberi. Quum morbus grauiter exercet & uehementer affligat, ampliori neceßitate remedium expostulat, quàm quum uenturus est necdum inuasit. Iam si ut imminentem arceamus uena inciditur, cur non etiam præsentem profligemus eodem remedio, quod omnium promptißimum est & expeditißimum? Hic igitur scrupulus euellendus est, & perspicuis dubium hoc illustrandum. In maxima et præcipiti plenitudine uires quidem adhuc stabiles sunt & integræ, morbus nullus genitus est, sed omne uitiũ in humoribus residet ac continetur. Quapropter hîc nulla uirium iactura sanguis abundè emitti potest, eo quippe educto qui copia & pondere naturam infestabat, protinus laborans discrimen effugit morbi imminentis, securusq; ab hac parte redditur. Omnia autem contrà euenient, si iam plenitudo ea morbum in corpore procrearit. Vires enim aliqua ex

parte

An Phlebotomia præsenti an imminenti morbo magis conferat.

parte ob præsentis morbi afflictationem attenuatæ, uix queunt citra detrimentum iustam sanguinis effusionem sustinere. Per febres sanguis putredinis ui inquinatus impuriorq; factus, haud similiter largã detractionẽ tolerat, atq; integer ille ac purus ante morbum consistens. Quæ impẽdenti morbo præmittitur uenæ sectio, omnẽ plerũq; metum atq; suspicionem adimit. At rarißimũ est, ut quæ instanti præsentiq; morbo decernitur, illam maximè optatam & expeditam securitatem præstet, imò nunquam non morbi quiddam prætermittit ac relinquit expugnandum. Hinc Hippocrates ex more insiliẽtes uel imminẽtes morbos iubet anteuertere sanguinis mißione, non illorũ incursum appulsumq; expectare. Simili ratione Galenus in ephemera ex obstructione, in synocho simplici nullaq; putredine implicata, sanguinem copiosè trahit, antequã (inquit) materia putrescat. Quocirca in magna & ingenti plenitudine, tutiùs, copiosiùs & utiliùs imminente quã præsente morbo sanguis profunditur: ac in perpetuum utilius est futurũ prospicere atq; præcauere, quàm prorogare dum insilientem defixumq; profligemus. Nam ægriùs eijcitur quàm non admittitur hospes. Cæterùm tã genito quàm impendenti morbo necessaria magis est uenæ sectio, quòd geniti sæuitia maiore nos neceßitate impellit & urget, quàm futuri metus. Similis est ac fortasse maior purgandi ratio, in morbis ex cacochymia natis: præsentibus siquidem neceßitas, imminẽtibus utilitas ac securitas inest purgandi. Quod ad sanitatem uel tuendã uel recuperandam est necessarium, non potest non utile censeri: at nõ retrò cõmeat, ut quod utile est, id continuò necessarium existat. De his posthac cõtra Auicennã plura in medium adducemus. Omnes affectus qui uel imminentes

nentes uel præsentes uenæ sectionem desiderant, ad plenum uideor numeranda percensuisse, simulq; & modum quo sit eo præsidij genere utendum. Quicunque uerò ab istorum genere discesserunt, sanguinis emißionē prorsus auersantur, eamq; minimè ferunt, nisi uel causarum uel symptomatum uis ac necessitas expostulet. Hoc autē quid sit, explicatione dignum ducimus, omnisq; ambiguitas tollenda & circuncidenda.

NEQVE IN MORBIS ENVMEratis uenā semper incidendā esse, neq; in contrarijs ac frigidis semper abstinendū, idq; ob causæ uel symptomatis magnitudinem, Cap. IX.

DE sanguinis mißione, cuius iam uires abundè expreßimus, haudquaquam ex unius morbi magnitudine statuendū: ni priùs etiam & causæ et symptomatū, quæ illi indissolubili nexu perpetuò adhærent, uim atque impetū diligenter expendamus. At perinde ut istorum unūquodq; sese subtrahendū, ita & uacuationis speciem indicat cōmonstratq;. Est ubi tria hæc in unum idem uacuandi genus consentiant, est ubi disiunctißimam maximeq; diuersam exinaniendi rationem exposcant: in quo rerum statu urgentiori animū adijcimus, & in illius expulsione omnem operam collocamus. Quocirca sic periculi rationes ferūt, ut aliâs causæ, aliâs symptomati opē afferamus, eorumq; ui & impulsioni manus demus, morbi specie ad tempus prætermissa. Causæ quidem rationē habemus in exquisita tertiana depellenda: hæc enim tāetsi febris est, attamen uenæ sectionem minimè recipit: sanguinis enim penuria & inopia inest, bilis ubertas &

copia,

A causa. Curim 3° ph[le]bo[tomia] prohibet.

copia, quæ tanquã causa purgationem non uenæ sectionẽ desiderat. Plerunq; frigidior morbus ægrotum sollicitat, in quo tamen solius causæ gratia uenam incidimus. Qua ratione, siue in tremorem, siue in aquam subter cutẽ, siue in alium quendam frigidum morbum, uir ex hæmorrhoidum retentione, aut mulier ex menstruis suppreßis inciderit, præcepit Hippocrates sanguinẽ emittere. Cuius cõsilium uehementer approbamus, dum efficiens causa coràm adhuc & præsens est, hæretq; in uenis copia sanguinis, quæ eum ipsum affectum fouet, & quibuscunq; potest modis exaggerat. Omnia autẽ contrà accident, si frigidior is morbus iam usquequaq; genitus est, neq; tum sanguis copia circunfluit. Secta enim per id temporis uena, & iam inueteratũ illum confirmatumq; morbum geminabit, & citra ullam cõmoditatem calorem demet, qui alioqui morbũ concoquere & euincere potis fuisset. Dysentericũ necnon lientericum alui profluuium, sæpe cohibuit secta uena interior cubiti dextri: atq; tum profectò causa in iecore residebat, è quo calidiore bilis effusa uẽtriculum aut concoquẽdo interpellabat, aut ad præproperè deijciendũ lacessebat. Multò quidem manifestiùs solius causæ gratia uenam secamus in pura simpliciq; plenitudine, quum impendentiũ morborum aditus intercludere consilium est. Quinetiam quoties plenitudo subest uenarũ immoderata, quam morbus aliquispiam excipit et consequitur, tãetsi ea præsentis morbi causa nõ est, submouẽda nihilo secius, si fortè morbo ipsi profligãdo morã et impedimentũ affert. Nõnunquam porrò magna adeo ui atq; neceßitate symptoma perurget, ut tũ morbo tum causa prætermißis illius solius nomine uenam tũdamus. Id luculẽter perspicitur, quum ruptis, apertis, aut exesis uenis

A Sÿmptomate.

uenis ſanguis per nares uel per uterum immodicè prorũpit: tum enim reuulſionis profluuijq; coërcẽdi gratia adhibenda eſt. Maior etiam illius ineundæ neceßitas nobis imponitur, quum ſanguis dimanans uel cruenti ſputi uel interioris cuiuſdam inflammationis ſignificationem & principium exhibet: idq; ſiue multus, ſiue paucus, ſiue purus, ſiue impurus eſt. Adhæc in febribus ardentibus quũ uehemẽs æſtus uel ſitis uel uigiliæ ægrotantem grauiter affligũt, etiamſi nulla plenitudinis, ſed ſanguinis pauci et impuri nota exiſtit, magna ex parte uenam præſcindimus, ut inde compreſſo ardore atq; reſtincto, ſymptomatum ſæuitia miteſcat. Acerbi dolores, ſpirandi difficultas, huiuſq; generis multa ſymptomata plerunq; ad ſanguinis detractionem compellunt, quãuis nec morbus nec cauſa expoſtulat: quo conſilio in aſthmate interim uena ſecatur, multoq; magis in pleuritide uel angina, quam uel bilis uel pituitæ uis & affluentia produxerit. Quid igitur? quoties ſymptomata hæc adſunt uehemẽtiora, ex quocunq; morbo uel cauſa prodeant, ſanguis ne continuò mittendus eſt? Abſurdũ id ſanè & à ueritate longè abhorrẽs uideretur, quòd in nephritico aut colico dolore uel immanißimo non modò nihil cõferat hoc genus præſidij, uerumetiam maiorem in modũ obſit. Quocirca haud ſemper ſymptomatis magnitudo uenæ ſectionẽ flagitat, aut ad illius executionem nos adigit, ſed dũtaxat quũ uel ex plenitudine initiũ ſumpſerit, uel ex cacochymia quæ nequeat medicamento purgante ſtatim & conueniẽter detrahi. Itaq; uaſorum ſimplex cacochymia, quæ purgationi ceſſura non eſt, urgente ſymptomate ſecta uena demi poteſt. Hæc quidẽ tũ temporis uiribus magis quàm purgatio incõmodat, ueruntamen ab impendente periculo liberat.

berat. Duo autẽ obſtant & impedimento ſunt, quò minùs facilè cacochymia purgatione tollatur. Vnũ quum liquidũ corpus & ad expellendum expeditum minimè eſt: alterum quum noxius humor in purgandi uias neutiquam deuergit. Liquidum corpus non eſt, in quo noxius humor immoderatè craſſus aut uiſcoſus ac minimè profluens ineſt, uel in quo tanta iecoris aut inferiorum uenarũ obſtructio inſedit, uix ut uia pateat per quam poßit humor è uenis per aluũ deriuari. Tum igitur noxius interclusus uenæ ſectione demendus eſt, ne illic quaſi furore turgens & uijs interceptus in aliquam partẽ nobilem irrumpat, ſeq; infigat. Alterũ purgandæ cacochymiæ impedimentũ eſt, quum pars affecta longè adeo à uijs purgationis ſepoſita eſt, ut in eas deuolui deriuariq; noxius humor nequeat: quo rerum euentu & conditione ſi ex ea ſede uena dirigitur ampla & conſpicua, ea utiq; incidẽda erit, maximè ſi morbi ſymptomatis'ue magnitudo premit. Vt ſi frigida pituitæ deſtillatio ex cerebro per ceruicẽ in humerum, hincq; in latus illabitur, quæ deinde altiùs in muſculos coſtis interiectos & in interiora penetrans, grauißimam, penéq; ſuffocantem pleuritidem excitat: in hac certè quanquam humor frigidus eſt, eiuſdem tamen lateris ſecta uena interior nonnunquam ſubſidio proficiſcitur & ex diſcrimine eripit, humoremq; circa tenuium uenarum ora congeſtũ, in uenas ſectione exinanitas haurit & euocat. Eadem lege pituitoſa deſtillatio in fauces uel in pulmones irruẽs, ſi ſuffocationis periculum infert, uenæ ſectione tollitur. Humori huic euacuando propria & idonea eſt purgatio, partis tamen ſitus & uenarũ ſocietas cauſa eſt, ut uenæ ſectio citiùs atq; potentiùs ac purgatio ab hiſce malis explicet. Quæ quãuis ita ſe habeant,

beant, non peræquè tamen licitum fuerit in paralysi, in cruditate uentriculi, in colico uel nephritico dolore, in hydrope, aut in aliis huius naturæ affectibus, etiamsi uehementissimi existunt, sanguinem emittere. Frigidi enim sunt, quorũ sæuitia nihilo secta uena, sed una purgatione leuatur & remittitur. Nulla quippe uena ex illis sedibus effertur, per quam spes sit noxiũ humorẽ trahi deriuariq; posse, ut inde symptomatum ferocia dominetur.

REVVLSIO ATQVE DERIVATIO quibus ex uenis administrentur, Caput X.

IN uenarum præcisione quæ uariæ & multiplices extant, delectus nõ mediocris adhibendus, qui omnis ex affectæ partis situ, ex affectus magnitudine, & ex eius
1. præsenti constitutione ostenditur. Situs eam uenam incidendam cõmonstrat, quæ in affectam partẽ insirta, cũ ea societatem cognationemq; habet: ea quippe humorem ab
2. affecta sede proiicit. Affectus magnus ac uehemẽs, cuius nẽpè humor perniciosus est, fluxionis impetus præceps, locus in quem procũbit nobilis eximiiq; sensus, amplã uenam finitimo loco secare iubet, ut quæ plus, celeriùs atq; potẽtiùs ab affecta sede uacuet. Sin uerò affectus mitior est, angusta uena eligẽda, eaq; distantiore loco, ut minus, tardiùs, & ignauiùs euacuet. Vt enim uenæ amplitudo, sic loci uicinitas copiosè, ualidè allicit atq; trahit. Affe-
3. ctus constitutio gemina & duplex intelligitur, uel enim fluxio etiamnunc in partem irruit & impetum facit, uel iam substitit atq; hæret: si etiam nũc irruit & illabitur, opposito loco uenam tundimus, quò influentis humoris fiat reuulsio: nulla enim cõmodiore ratione fluxionis impetus

petus cohiberi potest, quàm si in cōtrarium retorqueatur atq; referatur. Quum autem impetu conquiescente humor impactus iam parti inhæsit, propinquam uenam aperimus, per quam humoris deriuatio fiat in latus. Est enim reuulsio procumbentis & illabentis humoris tractus in contrarium, deriuatio autem illapsi tractus in uicinū latus. Quoniam uerò lex ipsa oppositionis plerisq; malè percepta & comprehensa, controuersiam adduxit, quæ uena in reuulsione foret incidenda, hoc loci omnem dubitationē par est eximere, priusquam rem susceptā altiùs pertractemus, ut nullum medicinæ locum esse patiamur, qui non illustratus pateat. Contraria dicuntur quæ eodē genere plurimùm distant: particulatim uerò situ contraria sunt, quæ unius & eiusdem rectæ lineæ extrema tenent, ad quæ & motus facti contrarij nomine insigniuntur. Hîc autem nō mathematico more sed uerè medico, rectam lineam æstimamus, quæ in directo uenæ processu cernitur, per quem est humorum cursus. Proinde cōtraria hîc perhibemus, quæ in eiusdem uenæ recto processu quàm longißimè sita sunt. Aperta uena quæcunq; uulneri propinqua pars est, exinanitione impulsa è longinquis sanguinē prolicit, quumq; id rectarum fibrarum ope cōpleat, (illæ siquidem trahendo ut transuersæ expellendo quasi consecratæ sunt) par est certè plus sanguinis & expeditiùs ab his partibus, in quas fibræ dirigūtur, quàm à cæteris prolectet. Immò etiam si nihil uenæ traherent, ex fluxionis tamen conditione & procliuitate, humores recto fibrarū cursu deriuarentur. Si quis dextram fluminis ripam aperiat, in eamq; riuulū deriuet, in hunc prōptiùs aqua deflectet ac cōfluet, quæ eāipsam ripā alluit, quàm quæ aduersam, nisi fortasse ingens quædam pertur-

batio

batio concitetur. Sic igitur humorum corporis quicunq; in dextris sunt dextra consectantur, qui in sinistris sinistra: laudanturq; humorum cursus omnes, qui hoc modo per directum fiũt: qui ordine inuerso obliquè in transuersum feruntur, improbantur, tanquam naturæ uim & cõcitationem indicent. Nomine quidẽ contraria sunt, antè, ponè, ad dextram, ad læuam, sursum, deorsum, intrò, foràs: uerùm si humorum motus spectabitur, istorum nulla cõtraria iudicẽ, nisi quæ in fibrarũ uenarumq; recto cursu collocantur. Pleuritidi dextræ nequaquam contrarium est latus sinistrum: at inflammato cruri dextro contrariũ est sinistrum. Hîc enim cõmunis & directa uenarum societas, per quam sinistrum crus incisum euocat è dextro: at è dextro latere nulla uena rectis fibris in sinistrũ concedit. Proinde huius secta uena dextram pleuritidem nõ adimit, sed noxium humorem uel in inflãmata parte linquit, uel puro sanguini uenarum permiscet, uel (quod frequentißimè accidit) sinistram pleuritidem inuehit. Ergo quum in his omne consilium eò spectet, ut à loco phlegmone occupato, plus sanguinis ac celeriùs, quàm à reliquis partibus hauriamus, uena præcidetur quæ sit in directo situ partis affectæ. Sic enim & naturam cũ ratione, & Hippocratem summum uirum imitabimur, qui in pleuritide interiorem brachij uenam secare iubet ab eo latere, quod dolore sit affectum. Neq; uerò solùm in dextra pleuritide, uerùm etiã in iecoris inflãmatione, (cui tamen uenæ omnes societate iunguntur) interiorẽ dextri cubiti tundit: qua non comparente mediam secat: si nec ea se profert, ad humeralẽ confugere mauult, quàm ad dextrã aduersi brachij: tãtam scilicet uim his attribuit quæ sunt in directo situ. Reuulsio enim (inquit Galenus) è directo

facta,

facta, euidens subsidium celeriter affert: at è transuerso nequaquam. Si reuulsionis causa (inquit alio loco) uenam incides, è directo quidem sanguine profluente, euidentem protinus commoditatem percipies: si uerò contrà tentes, nihil omninò proficies. Quæcunq; igitur per finitimam, amplam, & è directo sitam uenam fit reuulsio, ualidissimè, plurimùm, & celeriter ab inflammata parte deducit & reuocat, priusq; putrem & inquinatum, quàm ex reliquo corpore benignum & salutarem. Quumq; pars laborans magis quàm cæteræ exinanita fuerit, si ad penuriam usque detractum sit, uix denuo pars ea alia humorum fluxione conflictabitur, nisi fortè nouo uiuendi errore peccetur. Distantes enim indigentia auidæ, proprium sanguinem elabi non sinent, nec pars affecta (nisi dolor aut calor restet uehemens) ab illis eripiet, imbecilla quippe nec multo egens alimēto. Quum mox ab emisso sanguine inflammationis dolor placatur, si postea nullo ægroti aut aßidentium errore recrudescet, signū hoc esto nec ad indigentiam, nec satis subductum esse: quare quod deficiebat supplendum erit, eadem uena de integro cæsa, sed tantisper intermittendum est, dum aliquid humorum corporis remigret in uenas, quod non ante quartam horam fieri proditum est. Ex quibus intelligi perspiciq; iam potest, quanto in errore uersentur Arabes, & qui eorum præceptis instituti, arbitrantur præcisam in pleuritide eiusdem lateris uenam fluxionis impetum augere. At illi ueritatis ui coacti seipsos planè reuincunt atq; coarguunt. Fit enim uera interiorq; pleuritis, dum sanguis ex uena caua irruit in latus: secta autē interior eiusdem cubiti sanguinem è latere reuocat in uenam cauam, hincq; per cubitum profundit. Sic num illi di-

cent fluxionẽ augeri? At ſaltem(inquiunt) quũ ingens erit plenitudo, ne fluxio geminetur, copia primũ uel ex inferiore pedis uena, uel ex aduerſi cubiti interiore ſubtrahetur, mox uerò reliquias ex eodem latere ſectio demet. Quid hoc quæſo conſilij & prudentiæ eſt, ægrum toties torquere, quẽ ſemel poßis è malo redimere? Profuſus ad indigentiam ex laborante latere ſanguis, copiam ex fonte plenißimo haurit, ſimulq́; phlegmone obſeſſam partẽ releuat, nullum metũ afferens nouæ fluxionis. At ex alijs uenis quæ è directo non ſunt exiliens, unam copiam imminuit, nec quicquam tamẽ deprauati elicit, neq; oppreſſæ parti leuamento eſt. Si caſu eueniat præ uacuationis copia affectam partem exinaniri, putris eius partis humor puro uenarũ ſanguini permiſcebitur, redderturq́; malum quod corrigendum fuerat priſtino deterius. Maiore igitur uſu & emolumẽto ſemper uena è directo ſecatur, non ſolùm quũ fluxio ſubſtitit, ſed & ipſo initio quum etiam inuadit. Vnum hoc præſidiũ omnia confert & impertit, uacuationem, reuulſionem, & deriuationẽ. Humorem qui ex uena caua fluebat in latus retrò in uenã cauam reuellit: impactum lateri atq; congeſtum in eamipſam uenam cauam transferendo deriuat: utrunq; uerò foràs euacuat, neq; non iecur adiacentesq́; illi amplas uenas exhaurit. Nihil uerò cum his pugnant ueterũ ſententiæ, quæ reuulſionem ad longinqua & diſtantißima fieri præcipiunt. Nam omnia contraria uerè longinqua eſſe perhibemus, neq; ſolùm extrema extremis, ſed etiam extræma medijs, & media medijs opponi. Ex quo fit, ut ſi reuellendo uacuare animus eſt, liceat omnem in directo curſu uenam incidere, aliâs in extremo, aliâs circa medium, aliâs propinquo, aliâs diſtantiore loco. Cæterùm ubi

ubi acris & uehemens inflãmatio fatigat, è directo ampla uena loco uicino tusa, celeriùs & ualidiùs ab affecta sede retrahit uacuatq́; : tum id quoque commodi præstat, quod uniuersam humorum molem minimè conturbat & exagitat, nec in doloris sedem traducit impellit'ue. Quæ uerò præcisa uena quammaximè distante fit reuulsio, noxium humorum ignauius tardiusq́; concitat, neq; hunc à sede doloris abducit: aut certè benigni sanguinis exuperantiam primùm tollit, uitiosam autem materiam è propria sede raptam cũ salutari utiliq; confundit. Hæc plurima sunt flagitia, ex quibus ruinæ graues impendent. At nihilominus fluxionem lentam atq; diuturnam tutiùs ex distantißimis reuellimus, quemadmodum etiam futuram sic prohibemus, ut uetus ea fluxio in tractum nouæ uiæ longiorẽ conuersa, sensim à pristino citra uirium offensionem descifcat. Reuulsio autem repente & affatim ex uicinis adhibita, præterquam quod larga uacuatione uires admodum infringit, hac in re minimum confert auxilij. Atq; hæc de reuulsione quæ per uenæ sectionem completur, mihi iam satis dixisse uideor. Deriuatio autẽ ad propinqua fit, aperta uena quæ in affectam partem inseritur. Per hanc quippe unam & pars alimentum capessit, & noxius humor præter naturã influit. Quapropter quum ea iniecto scalpello præcidetur, pars multitudine defessa, in eam onus suũ abijciet. Opportunè autem deriuatio administratur, quum iam præposita reuulsione fluxionis impetus & ardor resedit, neq; denuo recentis & inopinatæ suspicio est: simul uerò humor adhuc liquidus est in parte, è qua remeare potis est. Si uerò usqueadeo infarctum parti coniectura est, ut omni fluendi remeandiq́; habilitate sit orbatus, quod in diuturnis inuetera-

tisq; inflammationibus frequens est, in quibus scirrhosæ quædam reliquiæ inhærēt. nulla utiq; deriuatio uenæ sectione, sed fomentis & emplastris mollientibus digerentibusq; tentanda: quibus etiam neq; humor dissolui dissipariq; potest, neq; locus est insignis, neq; dolor uehementer urget, pars affecta incidetur ac diducetur, maximè uerò si humor pernicie atq; cōtagione uicinas sedes inquinauit. Id quanquā deriuatio propriè uereq; dici non potest, illius tamē uicem obtinet, & quasi uicaria succedit. De reuulsione atq; deriuatione hæc sint in genere prolata, quorum utilitas deinceps in singulis maior elucebit.

QVAE VENA IN QVOVIS PARtium affectu secanda, Caput XI.

VEnæ secandæ delectum dixi ex affectæ partis situ & magnitudine indicari. Plenitudinem igitur cui nulla partis affectio aßistit, unaquælibet citra delectum incisa uena detrahit, modò illius angustia effluxum nō remoretur. Quoniam uerò in ea uasorum omniū plenitudine, illinc plurimum exhaurire par est, ubi fons est & origo humorum: cōmodißimè usuq; maximo præcidetur uena dextri cubiti interior, quæ à caua plurimùm & à iecore ualidißimè prolicit. Si plenitudo humoris labe cōtaminatur, eiusq; biliosi, interior quoq; cubito dextro: sin uerò melancholici uitio perfunditur, sinistro præcidēda, ita quidem flagitante lienis situ. Quam uerò ex crudorum colluuie subortam cognouimus, ex utrocunq; cubito detractionem feceris, nihil interest. Eadē prorsus lex & in febrium curatione obseruanda, siue ex continuarum, siue ex intermittentium eæ sunt genere. Quapropter sy

nochus

nochus tum simplex tum putrida uenam interiorem cubiti dextri præcidi postulat: perinde ut febris ardens, et pestilens, itemq; tertiana, & quotidiana tum aßidua tum intermittens, similiter & semitertiana. Quartana uerò siue puro circuitu repetit, siue continenter affligit, interiorem sinistri brachij flagitat. Interim per febres putredo in has aut in illas uenas sese magis infert, idq; citra phlegmonem insignem'ue obstructionem. Quod inde intelligitur dum per febrium acceßionem aut excandescẽtiam, alijs capitis & temporũ arteriæ pulsant dolentq; uehementer, alijs pectus oppressum quasi animam intercludit, alios lumborum grauitas cruciatusq; fatigat, alijs aliæ partes multò grauiùs affligantur, prout in eas putredo magis procumbit. Qui eo febrium genere torquentur, in ijs secandæ uenæ delectus habendus est, qua aperta afflicta pars magis quàm reliquum corpus leuetur. Quocirca si per has febres caput malè habet, tundenda est uena in cubito media: si pectus respirandiq; partes, interior: si lumbi, uel interior cubiti, uel inferior in poplite aut malleolo: nam renum lumborumq; regio ambigit. Corpore ita uniuersè exinanito, in reliquiarum deriuationem incumbendum. Quibus ex dolore & rigoribus à capite initium ducentibus, febrem in capite contineri uulgus dictitat, eodem sæpe die febrem exolui, cucurbitulis post idoneas uacuationes in ceruice humerisq; cũ scarificatu defixis. Quibus uerò ex lumbis erumpere aut in his delitescere creditur, eos restitui, asperis cucurbitulis ad summas nates finemq; lumborum iniectis. Quanquàm autem reuulsio deriuatioq; ad profligandas febres interdũ accõmodantur, sunt tamen eæ partiũ morbis in primis destinatæ ac propriæ: de quibus nunc singulis di-

 cendum.

cendum. Ex partibus quæ supra clauiculas sunt, perspicuè reuellit et uacuat incisa uena humeraria, celeriùs ualidiusq; in cubito, tardiùs uerò & segniùs in eo manus ramo, qui inter pollicem & indicem decurrit. Ex his uerò quæ inter clauiculas et renes positæ sunt, reuellit secta interior celeriùs et cum maiore ui in cubito, tardiùs uerò & segniùs in manus ramo qui inter annularem & minimũ digitum porrigitur. Ex utrisq; reuellit uena media, siquidem ex cõmunibus illa humerariæ & interioris ramis coagmentata conflataq; est. Nam plerunq; aut latet inuoluta, aut alterius duntaxat soboles est. Subter renes in quacunq; parte inhærescent affectus, secta poplitis uena maiore & impetu & celeritate reuelluntur, lentiùs uerò & infirmiùs secta in malleolo. Renes autẽ ancipites sunt, medij inter superiora inferioraq; interiecti. Hîc quum situm definio, nõ adeò partis ipsius ordinem, atq; uenæ quæ in ipsa est ortum & productionem æstimari uelim: nam phlegmone quæ rectos abdominis musculos uel supra umbilicum inuaserit, retrahetur aperta inferiore uena. Quæ uerò colum intestinum prehẽderit, quãuis subter renes sit, reuelli tamen debet secta interiore cubiti: quod uenarum ex anatome origines deriuationesq; cõmonstrant. Sed iam singulas uniuscuiusq; partis affectiones hîc persequamur. Capitis ex plenitudine affectus tum interiores tum externos, siue etiam nunc initiũ faciant, siue magnitudinẽ summam impleuerunt, reuellit secta in cubiti flexu humeraria: dextros quidem dextra, sinistros sinistra. At si segniùs & ignauiùs id agendum erit, uti quũ futuros præcauere consilium est, secabitur quæ directo inter pollicẽ indicemq; manus contendit: nisi fortasse aliunde quàm ex humeraria originẽ

ducit.

ducit. Eos autē deriuant humerorum ſcarificatus inie=
ctæq́; cucurbitulæ, & ſanguis è naribus profuſus. Sic
phrenitides, deliria, & apoplexiæ curantur: at uertigi=
nes quæcunq́; capitis uitio enatæ ſunt, præciſis quæ po=
ne aures ſunt arterijs deriuantur, perinde ut etiā inuete=
rati capitis dolores calidi ſpirituſq́; pleni. Qui priora
capitis prehenderūt, deriuantur aperta frontis uena: qui
uerò occiput & poſteriora tenēt, cucurbitulis ceruici hu
meriſq́; adhibitis, aut inciſa uena puppis. Oculorū inflā=
mationes et acres lachrymæ, primùm ſecta eiuſdē lateris
humeraria, deinde humerorū ceruicisq́; cucurbitulis retra
hūtur inhibēturq́;: deriuātur autē inciſa uena, quæ in ma
iorē fertur angulum. Auribus inflāmatis et parotidibus,
poſt humerariā ſecūda eſt uena ſub aure. Gingiuarū, ma
xillarū, et dentiū calidiores affectus, primùm humerariæ,
deinde earum quæ ſub labijs extant, ſectionem deſiderāt:
ut angina poſt humerariam, earū quæ ſub lingua cernun
tur. Pulmonum inflāmationem reuellit, pariterq́; deriuat
interior cubiti ſiniſtri potius quàm dextri: quandoquidē
pulmonū uenæ ex dextro cordis ſinu prodeunt: hic autem
in ſiniſtrum parietem uenæ cauæ inſeritur, qui demum
per alam in cubitum excurrit. Eadē ſanguini qui tuſſiē=
do reijcitur, tabi, cordis palpitationi, alijsq́; iſtorum ui=
tijs ſuccurrit. Pleuritidi tum interiori tum externæ, itēq́;
pectoris, diaphragmatis inflammationibus & ulceribus
ſanguinem ſputo fundentibus, interior eodem latere ſe=
cta reuellēdo deriuandoq́; confert. Tumores qui uel axil
las uel humeros malè habent, niſi ad brachij flexum per=
tingant, eandē curandi rationem ſubeunt. Iecore inflam=
mato grauiter ue oppreſſo, interior dextra cæditur: at
uerò malè affecto lieni ſuccurrit interior ſiniſtra, in cubito

quidem ualidiùs, in manu uerò languidiùs. Deriuationem in his quum iam fluxio substitit, Galenus cucurbitularũ ope complet, quæ dextro hypochondrio imprimantur si iecur, sinistro, si lien laboret. Auicennas autem uenas incidit, quæ in abdomine extant, uisceribus obtensæ. Recẽs renum inflammatio, quam copia sanguinis comitatur in uenis, ex interiore cubiti reuellitur, dextri quidem si ren dexter, sinistri si sinister affligitur. Quum uerò non immodica plenitudo premit, tutiùs ualidiusq; ex inferioribus reuulsio administrabitur, quæ è directo sunt uel in poplite uel in malleolis. Per uteri affectus si menses præter modum emanãt, uena cubiti interior impetum coërcebit, sursumq; retrahet, quemadmodum & cucurbitulæ subter mãmas infixæ. Suppressos autem menses uena in poplite aut malleolo cæsa mouet, dum sanguinis impetu deorsum conuerso, uenæ quæ in uterum pertinent, resignentur. At siqua inflammatio subest, per initia sursum retrahetur, idq; directò: illinc quippe tãquam à fonte plenior fluxio irruebat. Nec est quòd tum inde mensium suppreßionem uereare: si modò quàm mox uenam in poplitem aut in malleolum directam ferire iubeas, quæ illorũ euacuationi deriuationiq; paratum & expeditum est præsidium. At si quis temerè huius incisionẽ ab initio experiatur & attentet, hoc ipso quod fluxionis impetum augebit, menstruamq; purgationem irritabit, phlegmonen sanè ingentem uel autore Galeno excitabit. Quæ ut dilucidiùs pateant, in promptuq; sint, non alienum duxerim hòc loci diuisionibus quibusdam explicare. Reuulsionum altera uniuersalis nuncupatur, particularis altera. Vniuersalis commodißimè fit exhausto eo loco, unde fluxionis impetus exordium cœpit. Id autem iecur est illiq; aßistentes

amplæ uenæ, in quibus sanguinis & plenitudinis fons est uberrimus: illinc quippe maiores inflammationes elabuntur & excidunt. Has igitur inhibere & reuellere necessum est, secta interiore cubiti uena, quæ sanguinis uniuersam molem sursum rapit. Quæcunq; ex uenis inferioribus fiunt reuulsiones, inter particulares habentur, neque fontem primariò exinaniunt. Quum itaq; uniuersalia particularibus sint præmittenda, inflãmationes quæ subter renes incurrent, primùm reuellendæ sunt præcisa interiore cubiti uena directa, deinde reseratis inferioribus, quæ aliquam etiã reuellendi uim obtinent: has tamen tutum minimè sit primas ferire, maximè si ingens est uasorũ plenitudo, fluxionisq; incursio uehemens. Omnia hæc in pleuritide, & plerisq; superiorum partium inflammationibus, non raro unica uena tusa cõplentur. Sed iam ad reliqua festinet oratio. Profluẽtes affatim hæmorrhoidas, secta in cubito uena supprimit: suppressas diducit & euocat secta in malleolo. At si qua inflãmatio uel podicem, uel partes obscœnas, uel uesicam, uel alterutrum inguen infestabit, modò non uenenatæ cuiusdam perniciei particeps ea fuerit, ex superioribus cubiti uenis multitudo summouebitur, inhibebiturq; fluxio: secundum quam ex inferioribus, si magna premet necessitas, particularis reuulsio deriuatioq; fiet. Similis est omnium quæ in crura inuadunt inflammationũ ratio: quoties enim ingens adest plenitudo, effrænataq; fluxionis uis et incursio, ex cubito sanguis primùm: tum si non respondeat neq; par sit, ex crure uel pede fundetur. Sin leuior existet inflammatio, neq; plenitudo extra modum accreuerit, superiorum uenarũ sectionibus prætermissis, satis superq; erũt quæ ex inferis obeuntur. Hæ igitur particulares uenæ, in factis

aut incipientibus morbis incidendæ. Cæterùm si præsens sit plenitudo, quæ futurorũ morborũ terrorem metumq; inijciat, ij omnino sanguinis detractione arcendi sunt & præuertendi. Ac si quidem ea plenitudo ex supreßis mensibus coagmentata est, quisquis morbus impendebit, is congruenter propulsabitur inferarum sectione, quæ dum uacuant, menses pariter exciunt, ipsamq; mali causam exterminant. Vbi uerò ex longa consuetudine fluentes hæmorrhoides cohibentur, plenitudinemq; inuehunt, si quidem has euocare consilium est, ex inferioribus plenitudo haurietur: sin illas obcæcare ægrotus requirat, neq; uelit post hac illis obnoxius haberi, plenitudo ex superioribus erit detrahenda. Quæcunq; autem alijs ex causis nata plenitudo morbos minitatur, ad eos prohibendos uena accõmodabitur iecoraria, quæ in flexu cubiti dextri cõspicitur. Quòd si pars aliqua eã sortita est constitutionẽ, cuius uasa facilè diducãtur uel rũpantur: aut siqua parũ adeò firmamẽti ac uiriũ habet, ut illabentẽ fluxionẽ promptè excipiat, reuellente præsidio exinaniendа est: non per uenam finitimam, quum nihil adhuc morbi genitum sit, sed per uenam quàm longißimè è directo disiunctam, quæ & futuram fluxionem inhibeat, & eius solitũ impetum in diuersam regionem incitet. Sic enim Galenus podagram arcet secta cubiti uena: comitalem uerò morbum, apoplexiam & uertiginem, incisa uena poplitis uel malleoli. His abundè discußis ad præfiniendam sanguinis mittendi quantitatem accingamur.

QVAE

QVAE SIGNA MORBI MAGNITVdinem & uirium robur indicant, quorũ obseruatio aut mittendum aut non mittendum sanguinẽ docet, Caput XII.

QVoscunq; morbos suprà enumerauimus, ij toto genere uenæ sectionem desiderant: quod nouisse quanquam magnum quippiam uidetur, curationis tamen solum exordium & principium est. Non enim quoties eorum quispiam inciderit, necessariò uena tundetur: nisi præterea aut is suo genere magnus ac uehemens extiterit, aut eius causa quæ in humoribus inest multùm accreuerit, aut symptomatis cuiusdam sæuitia premit. Hæc quippe tria sunt, ex quibus ferocia atq; magnitudo æstimatur; ob quæ morbus uel factus uel incipiens uel impẽdens uenæ sectionẽ exposcit. Neq; tamen dum hæc insunt uena perpetuò secabitur, sed insuper expendendum uirium robur. Quum enim omnium uacuationum ea maximè quæ resignata uena fit uiribus officiat, dum pariter cum inutili nonnihil salutare demit, uiriumq; substantiã conuellit: si uitæ uiriumq; seruandarum gratia curationem suscipimus, nequaquam potest citra earum obseruationem de secanda uena consilium capi. Itaq; ut sanguis profundatur, duo hæc adsint, morbi magnitudo & uiriũ robur. Quorum quum sit cognitio tantopere necessaria, par est hic signa perscribam, quæ illa seorsum proponãt commonstrentq;. Morbus primùm magnus uehemens intelligitur ex genere: nã cuiuscunq; partis sit phlegmone, grauior deteriorq; censetur quàm simplex illius intemperies. Deinde ex partis usu atq; præstantia, si ex principum partium est ordine, ut cor, ut cerebrum & iecur:

aut si

aut si contrà inter partes abiectas & ignobiles recense tur. Prætereà ex istarum situ, quarum aliæ principibus affinitate iunguntur, ut pulmones, latera, uentriculus & lien: aliæ uerò lõgiore interuallo disiunctæ sunt, ut intestina, renes, uesica, artus, aliæq; quæ sunt in extremis. Ex ipso deniq; partis sensu, qui aut acer acutusq; est, aut hebes. At causæ magnitudo ex humoris qui in affecta sede congestus est, & qui continens fit morbi materia, conditione & natura spectatur: quòd nempe benignus sit aut uitiosus uel putridus, uel perniciosa qualitate contaminatus. Hîc enim quicquid perniciosum est & mali moris, magnũ etiam nuncupare consueuimus. Ex uasorum & uiscerum totiusq; corporis plenitudine uel exinanitione, antecedentis causæ magnitudo deprehenditur: itemq; ex humorũ inibi conceptorum puritate aut uitio. Symptomatis magnitudinem ex uehementia aut remißione eorũ quæ incidunt dimetimur, nempe doloris, sitis, deiectæ appetentiæ, uigiliarũ, & cæterorum quæ uires cõminuunt & obterunt. Itaq; si praua quædam morbi species uelut inflãmatio, iecur, cerebrum, uel partes cordi uicinas atq; connexas occupauerit, cuius moles latè se fundat, sitq; humor putridus & uenenatus, quali & corporis uasa confecta appareant, adeò ut inde magna excitetur corporis agitatio, mala appetentia, sitis, dolor acerbus, & uigiliæ: hunc profectò in maximorum grauißimorumq; morborum numero reponemus, cui & maxima cõgruit euacuatio. In quo autem morbo diuersa comparẽt omnia, is certè pro leuißimo minimoq; ducendus est, & qui fortasse nullius uacuationis indigeat. Inter hos non pauci interiecti sunt medij ordines, qui pro maioris minorisq; uarietate, aut abundè aut parcè uacuandũ denunciant. Nũc ad

uirium

uirium æstimationẽ transferatur oratio. Facultatum uiriumq; corporis aliæ partibus singulis ingeneratæ sunt & insitæ, aliæ cõmunes & influentes. Insitarũ atq; innati calidi unam eandemq; haberi essentiam, eamq; naturã appellari, & ex innato spiritu et ex humido primigenio conflari, cui solida partium substantia tanquam materia substernitur, aliâs planum effecimus. Insitarnm uagarũq; uiriũ essentias è tribus principiorũ fontibus emanare, triplici spiritu in omne corpus effundi: animalem quidem è cerebro per neruos, uitalẽ è corde per arterias, naturalẽ è iecore per uenas. Quo loci demonstratum simul est uires partibus singulis ingenitas ab influentibus illis sustineri, totum uerò animal ab utrisq; gubernari. Itaq; si in integra sanitate seruari debet animal, necesse est utrasq; tum insitas tum influentes saluas & incorruptas esse. Quod euenturũ est, si earum substantia æquabili & iusta quadam moderatione compareat, quæ in certa quantitate atq; proba tẽperie posita est. E cõtrario autẽ si substãtiæ uel quantitas uel tẽperies inuertatur, illæ necessariò iacturã facient, aut imbecilliores euadẽt, unde earũ functiones lædentur, totiusq; animalis gubernatio perturbabitur, & uitæ euersio cõsequetur. Ergo ualẽtes aut imbecillæ uires ex operibus primùm noscũtur. Vrinæ aut alui excremẽta cruda, nẽpe tenuia & aquosa, aut loturæ carnis similia, naturalis facultatis imbecillitatẽ cõmonstrãt, quemadmodũ uel retentio, uel alia quæuis oblæsa functio. Vitalis facultas ex pulsu paruo, obscuro & debili, similiter ex respiratione parua, difficili atq; crebra, ex uoce exili & languida, quæ neq; pulmonũ neq; pectoris uitio oborta sit, debilis animaduertitur. Horũ uerò contraria facultatis robur & firmitudinẽ ostendũt. Animalẽ uim

lē uim imbecillā coarguūt motus sensuūq; læsio, uigiliæ, deliria, aliæq; perturbatæ principes actiones: quēadmodū cōtrariæ illius constantiā firmitatēq; mōstrāt. Ex ijs ergo functionibus facultates lædi conijcimus. Læduntur autem & imbecillæ apparent bifariàm, uel oppressæ, uel languidæ. In omni autem euacuatione maximi refert languidas ab oppressis internoscere. Hæ si quidem largam, illæ uerò nullā uacuationem ferunt. Earum autem distinctio ex causis externis & euidentibus erit. Si enim eius generis prægressæ sunt quæ uirium substantiā uel mutāt uel dißipant, illas uerè languidas: sin nullæ eiusmodi deprehensæ sunt, & aliæ urgent suo pondere, opprimi solùm censeto. Externæ causæ & euidentes quibus insitarū uirium (ab his enim exordiar) temperies mutatur, sunt ardentißimæ febres quæ corpus liquant, & hecticæ, & causæ uehementiores quæcunq; solidas partes immodicè calefaciunt, refrigerant, humectant, siccant'ue. At illarū substantia digeritur atq; disperditur in morbis longißimis, qui hominem in atrophiam uel in tabem conijciunt. Influentium autem uirium triplex spiritus permutatur, tum ex ambientis & rerum quarumlibet irruentium intemperie uel uenenata qualitate, tum ex uiscerum aut humorum deprauatis qualitatibus. Aëris quippe feruor & æstus non solùm quà nos extrinsecùs ambit, uerumetiam quà intrò respiratione ducitur, pulmones primùm, deinde cor omnesq; spiritus eousq; inflammat, dum plerunq; febris incendatur: ex qua spiritus intemperie neceßitas est uires imbecillæ languidæq; reddantur. Adde per eum feruorem spiritus non modò temperiei mutationem subire, sed & dißipatione minui. Frigoris immoderata uis foràs incidens introq; subiens, aliàs spiritum omnemq; calorē infrin-

infringit et debilitat, aliâs prorsus extinguit. Aër dū uel pestilens uel quodpiam uenenatum aliud uitium concepit, haustus tractusq; contagione nostros etiam spiritus labefactat, ex quo grauium morborum in corpus incursio, uiriūq; non mediocris iactura. Multò quidē apertiùs uel scorpij uel rabidi canis uel alterius uenenatæ bestiæ morsu acceptū uirus, spiritum polluit & inficit. Porrò etiam interiores & abstrusæ causæ spiritus immutare solent. Vbi enim principes corporis partes intemperie aliquapiam conflictabuntur, eadem si longiùs serpat necessariò ad spiritus indidem ortos dimanabit, uiriumq; robur cōminuet. Quodcunq; humoris uitiū in corpore dominetur, ex eius intemperie grauem offensionem spiritus excipiunt. Crudorum humorum ui qui aut corpus uniuersum, aut uentriculum maximeq; os eius occupauerint, necesse est tum caloris tum spiritus substantia refrigescat & infringatur, animalq; prorsus languescat, interdum uerò et syncope prehensum corruat. Bilis ardentior calore immodico spiritus cremans, aut os uentriculi uellicans & quasi aculeis compugnens, haud leuiorū malorum fit causa. Est & quū humor aliquis ueneni labe et pernicie conspergitur, cuiusmodi est cohibitum putrescensq; semen, aut mēstruum, aut grumus sanguinis, cuius uapor spiritū labefactans et obruens aliâs syncopen, aliâs uteri strangulatum, aliâs epilepsiam, aliâs alia incommoda solet inferre, uiribus extra modum offensis. Ergo tot tantisq; modis spiritus à sua temperie desciscunt. Eorum porrò uiriumq; substantia occūbit atq; dissoluitur, interdum sponte quia tenuis & dissipabilis, in corpore calido raro laxoq; concluditur, ut proinde suopte impetu disperdatur & uanescat. Interdum uerò externarum et euidentiū causa-

rum

rum occurſatione perimitur, quales ſunt ambiens aër ſer uidior & ſiccior, uacuatio immodica, motio uehemens, animi pathemata, dolor et uigiliæ. Immodica humoris aut etiam inutilis excrementi euacuatio, hoc ipſo quòd ſpiritus ſubſtantia fuſa atq; profluens eſt, non poteſt non bonam illius partem è corpore ſecum abripere. Quocirca ſiue aluus nimiopere uel natura uel arte profluit, ſiue urina plus æquo profunditur ut in diabete, ſiue pus aut aqua ex thorace, ſtomacho, uẽtre inferiore, aut ex magno quopiam abſceſſu uniuersè & affatim prorumpit, neceſſitas eſt grauem iacturam uires faciant. Multò autẽ certiùs et clariùs nimia ſanguinis aut ſalutaris humoris uacuatio ſpiritus diſsipat, uiresq́; conuellit, ſiue is ex uulnere, ſiue ex naribus, ſiue ex ore, ſiue ex mariſcis, ſiue ex utero, aut aliunde proſiliat. Hac etiã ratione inediæ corporis robur præcipitant, quòd in his omni ui effuſa, neceſſarium et utile corporis alimentum diſperditur, exhauriturq́;. Labor ac æſtus ſpiritus calorisq́; ſubſtantiam halitu aut ſudore diſsipant. Quapropter qui uitæ ſuæ curſum in labore aut circa balneas & fornaces conficiunt, quoniam continenter labitur ac fluit eorum ſubſtantia, haud æquè excrementis circufluunt atq; ij qui otioſam & inertem uitam traducunt. Qui luxuria & effrænata libidine diffluunt, his (inquit Poëta) frigent effœtæ in corpore uires, quæ nullius medicinæ uim proferunt. Hi omniũ maximè ex tantula ſeminis uacuatione flacceſcunt & languẽt, quòd ſpiritus plurimũ diſsipetur. Doloris porrò atrocitas multò amplius quàm labor ſpiritus diſperdit, uiresq́; proſternit. Animi pathemata alia quidem ſpiritũ atq; calorẽ offundũt, ut timor, mœſtitia: alia uerò diſſoluũt atq; diſsipãt, ut gaudiũ, lætitia. Vigiliæ corpus omne

eiusq́;

eiusq; maximè animalem spiritum exhauriunt, quemadmodum somnus uacuationis genus omne cohibet. Hæ sunt causæ, quarũ exuperantia calorem, spiritũ, uiresq́; dißipat. Quæ quoniam euidentes existunt, tanquam notæ & signa fiunt, ex quibus uires propriæ substantiæ iacturam fecisse intelligimus. Causæ autem quæ duntaxat uires opprimunt, interiores sunt & abstrusæ, neq; adeo nobis expositæ: eius generis sunt obstructio, & immoderata humorum copia. Venarum arteriarumq́; obstructio quæcunq; à craßis lentisq́; humoribus incidit, spiritus arctè coërcet, neque illos refrigerari sinit, qui proinde præpedito usu uitæ necessario grauiter cum ingenito calore opprimuntur. Id quidem in pulmonibus, in iecore, in cerebri uentriculis atq; arterijs, in ipso deniq; corporis habitu sæpe ac multum euenire solet. Obstructio autem, quam humores nimio plus exuberantes induxerunt, nõ modò spiritum calorẽq; premit, uerumetiam suffocat & obruit. At multitudo libera neq; ulla obstructione præpedita, siue simplex siue cacochymiæ particeps est, uires strãgulat: ut in athletico habitu sanguinis, in leucophlegmatia pituitæ, in hydrope cruditatum uis, in ictero bilis exuperantia. Quotiescunq; igitur naturalis facultas ab excrementis, uitalis ex pulsu & respiratione, aut animalis ex proprijs functionibus imbecilla deprehendetur: si qua ex causis illis procatarcticis uehementior antecesserit, direptam & ad pauciora redactam censebis uiriũ substantiam. Vbi nulla ex causis illis prægressa fuerit, & uires nihilominus imbecillæ compareant, non utique dissolutæ sed oppressæ putabuntur: maximè uerò si uel plenitudinis uel multæ cacochymiæ signa connexa sunt. Hæ causæ quum exiguo tempore insident, tanquam graues

ues & molestæ solùm habentur, ijsq; sublatis mox uires recreantur & ad sese redeunt, eaq; ratione sic oppreßis causarum euacuatio maximè conducibilis est. At causæ istæ si diutiùs insistunt, uires non modò grauant, uerum etiam temporis progreßione deijciunt: plenitudo quidē qua natiuum calorem obruit & extinguit, cacochymia uerò qua eum ipsum uitij impuritate cōtaminat: neutris eousq; deiectis uacuatio idoneum & tempestiuum fuerit auxiliū. Velim igitur offensarum uirium tres à nobis ordines constitui, alias esse deiectas, grauatas alias, tertias languidas: quarum signa sigillatim ex antè commemoratis elucebunt. In acutis morbis uisus est Galenus omne uirium robur ex una uitali facultate æstimare: atque ita quanquàm naturalis uel animalis facultas ex functionū læsione uacillare percipitur, si tamen unius uitalis munus integrum ex pulsu deprehendimus, uirium statū satis firmum & stabilē esse putat, in quo audacter uacuatio decernatur, quod nullum uitæ discrimen ex aliarum functionum offensione impendeat, nisi hæc ista uitalis perspicuè detrimētum ceperit. Quamobrem pulsui tanquam signo minimè fallaci iubet attentos esse de uirium robore iudicaturos. Id certè magnum quippiam iudico, at nondum satis: quandoquidem pulsus ferè incōstans incertusq; est, & aliarum complurium rerum occursu perturbatur, mutationemq; suscipit. Deinde ingens copiosaq; euacuatio alias uires non minus quàm uitalē cōcutit, atque illarū occasu, haud secùs emorimur atq; si uitalis intercideret: quare uidetur aliarum etiam facultatum obseruatio ad uacuandum necessaria. Si quis enim uehemēti aut diuturno morbo, ut lienteria, atrophia, marasmo'ue extabuit, huic sanguinem non mittes, etiamsi pulsus plenus nunc

existit & ualidus. Quocirca non unius sed trium uagarum & influentium facultatum, quibus actio uitæ continetur, neq; harum solùm uerũetiam insitarum robur ad uacuationem obseruare conuenit. Si ut Galenus prodidit, syncope ex imbecillitate fit uniuscuiusque earum facultatum, quarum ope & auxilio corpus nostrum gubernatur, uniuscuiusque imbecillitas uenæ sectionem dehortabitur, quemadmodum & syncope.

VT VACVANDI QVANTITAS ex morbi magnitudine & uirium robore indicetur, Caput XIII.

Morbus quidem omnis ægroti uires conuellit, æquè ut uacuatio quæ ad illius depulsionẽ adhibetur: at non iccirco id auxilij genus omninò supprimendũ est, sed ea lege temperanda sunt omnia, ut morbi substantia dematur, uiribus quàm minimũ fieri potest oblæsis. His quidem tantisper negotium facessere dum malum profligetur, & in maioris commodi spem adducamur, periti in primis est artificis. Quæcunq; enim offensio per legitimas euacuationes uiribus infertur, leuis admodum est & breuis, ut quæ completa euacuatione mox conquiescat. Natura siquidem noxiorum humorum pondere expedita, quo ueluti sarcina premebatur, priores uires recuperat, quicquid spiritibus & innato calori detractum est resarcit, factaq; morbo deinceps superior, quæ reliqua sunt euincit partim coquendo, partim foràs dißipãdo. Hippocrates ad pericula prospicienda sagacißimus, consuluit tenuem uictum ægrotis adhibere, haud ueritus illorum uires licet infirmas uictus tenuitate debilitare,

ut hac ſimul morbi eſſentiam comminueret: idem profe=ctò in uacuandi munere tenendum. Cæterùm perinde ut in uictus, ſimiliter & in euacuationis ratione cauendū, ne in extremam debilitatem uires concidant, circunſpi=ciendumq́;, etiam atq; etiam & accuratè conſiderandum, quantum & quoad perferre queant. Aequa autem & legitima uacuationis quantitas certis legibus circunſcribitur, quæcunq; citra inſignem uirium offenſionem mor=bum adimit. Hoc morbi uiriumq́; inter ſe exquiſita collatio commonſtrat. Si enim ualidæ erunt uires, fidenter quantum morbus deſiderat erit uacuandum: ſi minus ualidæ, reuerentius: ſin uerò deiectæ, nihil prorſus molien=dum. Cæterùm hoc ipſum in diſceptationem quæſtionēq; uocatur, poßint'ne uires uſqueadeo deijci, ut ne minimā uacuationem tolerent. Plerunq; in magna uirium deie=ctione, uacuationes ſponte, ſalubriter, euētuq; felici pro=rumpunt. Deinde unicuiq; uirium ordini ſua quædam uacuationis quantitas proportione reddi poteſt: non enim credibile eſt uncia aut ſemuncia ſanguinis effuſa uires etiam deiectas offenſum iri. Quoniam igitur hæc obſcura ſunt, explanationes adhibendæ, ut omnis ueterum ambiguitas tollatur. Vacuationum alia integra ſtatuitur et perfectè abſoluta, quæ omnem aut certè plurimam mor=bi noxiam materiam adimit: alia utilis quidem at non integra, quæ parte morbi ſublata reliquam facit leuiorē: tertia eouſq; exigua & deficiens, nihil ut laborantē le=uet. Rarum quidē eſt uires adeo deiectas eſſe, (niſi malo uictis & deploratis) ut ne uel minimam quidem uacua=tionem ſuſtineant: uerùm huiuſce tanquam inutilis uete=res nihil meminêre, quòd citra morbi leuamen uiribus incommodet: quare rectam & conducibilem curandi uiā inueſtigan=

inuestigantes, statuerunt uiribus deiectis nullam omninò uacuationem adhibendam. Itaq; si singula seorsum æstimemus ponderemusq;, ualentes uires integram consummatamq;, mediocres imperfectam quidem sed utilem, deiectæ nullam curatricem uacuationem tolerant. Ex morbis autem quicunq; uehemens ac magnus extiterit, copiosam eamq; necessariam sanguinis mißionẽ exposcit, sine qua aut nullo modo aut non tutò sanari potest. Mediocris moderatam exigit, quæ raró necessaria, sed duntaxat utilis habetur, per quam citiùs ac tutiùs sanatio perficitur. Exiguus morbus exiguæ etiam aut nullius omninò uacuationis indiget. Hæc quasi præfatis, superest ut morbi magnitudo uirium robori conferatur. Quum uires planè integræ erunt, & morbus mediocris, non utiq; necessaria sed duntaxat utilis est uenæ sectio: potest tamen tutò sanguis emitti, & quantum morbus desiderat. Non enim formidandũ est constantes uires aliquantisper imminuere, quò morbi sentina funditus tollatur: eæ si quidem promptè nullaq; mora reuirescunt. Quum in uirium constantia & firmitudine morbus inuadet magnus & periculosus, uasa immoderatiore copia distendens, quemadmodum in habitu athletico aut in synochis febribus, uberior uacuatio præscribenda, quæ affectus magnitudini usquequaq; respondeat, poßitq; eum lenire. Immò uerò in his quicquid præponderat & mediocritatis limites transcendit, summouere maiorum institutis conceditur, expeditq; (inquit Hippocrates) usq; ad animi defectionem ducere, si æger tolerare poßit. In cuius sententiã discedens Galenus, firmißimè asseuerat in maximis inflãmationibus, in ardentißimis febribus, & in uehementißimis doloribus experientia didicisse, maximo ægrotorum

cõmodo huiuſcemodi euacuationes imperari, modò uires integræ ſint & ualidæ. Febris enim ardor ſtatim extinguitur, plurimis aluus citatur aut ſudores emanant: unde alij ſanitati reſtituti, alij plurimùm adiuti ſunt. Neq; uerò de ea animi defectione præcipit, quæ uel ex timiditate & animi ignauia, uel ex acrimonia humoris accidit, qui os uẽtriculi pungit & irritat: ſed de ea dũtaxat quæ uberiorem euacuationem conſequitur. Hanc enim defectionem in morbis enumeratis ſtatuit tanquam legitimũ uacuationis modum. Eſt autem lipothymia ſiue lipopſychia animi uiriumq; defectio, in qua etiamnum ægrotus loquitur, audit, uidet, agnoſcitq; præſentes. Syncope uerò eſt omnium uirium præceps lapſus ut epilepſia animaliũ: illa certè qui opprimitur, nec audit, nec uidet, & (ut uerbo expediam) omnes externas functiones quaſi interceptas habet. Lipothymia leuior eſt ſyncope, hãcq; ſolet præcedere. Et Galeno autore crudi humores ſi uel copia uires offundunt, uel corporis ductus obturant, ſyncope reddunt opportunos: ſin uerò nec obturent nec onerent, iam non ſyncopen ſed animi deliquia inuehunt, quas λειποψυχίας Græci dicunt. In his igitur affectibus ſanguinem uſq; ad lipothymiam mittere permittitur: at non temerè ſine iudicio: ſed quũ iam uires præ uacuatione manifeſtè ingraueſcunt, & initiũ pa tiuntur defectionis atq; lipothymiæ, cohibendum: neque unquam uacuationes ad extremũ & uſq; ad ueram ſyn copen deducendæ, ut quæ omninò periculoſæ euadant, etiamſi ualidæ uires erant. Tentandum igitur eſt exuperantem humorẽ ſubducere, quoad uires tolerent. Et quocunq; tempore diſſoluuntur, etiamſi reſtent ſuperflua, ab euacuatione nihilominus deſiſtẽdum ceſſandumq; eſt. Hoc

autem

autem certißimè disces pulsuum mutationi animum mentemq; adhibens, quum ex magno paruum, ex æquali inæquabilem, ex uehementi debilē & obscurū fieri, quūq; fluxionis impetum labare, ægrotumq; iam languere animaduertes, protinus cessandum est. Quoniam igitur syncope mortis est imago, quæ aßidentes perterret, et ægrū in maximum uitæ discrimen adducit, in eam nunquam is uacuatione ægrotum præcipitet, quicunq; uelit existimationem suam inuiolatam tueri, neq; in ullas obtrectatorū reprehensiones incurrere. Conducibilius quidem sit ægrū diutius torqueri, quàm unà cum morbo uitam omnem profundere. Hactenus uires integras ualētesq; oratio nostra attigit: nunc autem ne cui quæstioni non uideatur satisfactū, age donemus easdem infirmiores esse & quodammodo imbecillas. Si hoc rerū statu mediocris in corpus inuadat morbus, cui ad curationem modica uacuatio fuerit necessaria, hanc tentare conueniet, quod leui & exigua uirium offensione causam detrahat. Si uerò minus necessariā sed utilem solùm coniectura prospicimus, ab ea quidem temperare aliudq; mitiùs uacuandi genus sufficere præstiterit. Sin cum ea uiriū imbecillitate magna redundabit humorum copia, cuius ratione ut morbū depellamus, multa uacuatio fuerit necessaria, nequaquàm debet ea semel & uniuersè suscipi: ut quam uires tolerare nequeunt. Non enim rectè morbum demit, qui cum morbo ægrū de medio tollit. Quum igitur semel et uniuersè facta uacuatio citra periculum adhiberi nō potest, quod uitiosè se habet, paulatim uacuare expedit, et minutatim salubre quippiā pro eo reponere: ac primùm quantum uires ferant detrahere, deinde quod defuit iteratione supplere, idq; uel bis uel ter uel nonnunquam sæ-

pius: ea curatio Græcis est ἐπίκρασις. Deiectis autem uiribus nulla uel morbo exigente uacuatio ineunda. Quæ enim adeo exigua fuerit, ut uiribus illis quasi dimensa et par respondeat, quoniam cõmodi nihil, incommodi uerò plurimùm infert, debet tanquam inutilis & superuacua prætermitti. Atq; in uiribus roborandis confirmandisq; omne tum studiũ collocandũ, idq; cibis boni succi & copiosis, quibus etiam facultas insit morbo aduersa, ut caco chymiã emendet. Quòd si postea uires recreari atq; reuirescere contingat, tũ certè idonea uacuatio afferetur, quod in diuturnis morbis sæpius, in acutis rariùs usu uenit: in his enim tanta cũctatio anceps est & periculosa.

PRAESENTIVM PRAETERITORUMQ; OBSERUATIONES, EX QUIBUS UACUANDI QUANTITAS INDICATUR, Caput XIIII.

Morbi magnitudo atq; uirium robur mittendi sanguinis quantitatem præfiniunt, at non restrictè et exquisitè, sed perfecta huius cognitio ex euidentiũ causarum obseruatione æstimatur. Quæcunq; ex his præsentes sunt aut futuræ, corpus exinaniunt & uires offendunt, quemadmodum sanè quæcunque olim antecesserunt, eam quæ nunc est corporis & uirium constitutionem protulerunt. Ex his porrò causis tres numerantur interiores & nobis congenitæ, temperamentum, corporis constitutio uel habitus, & ætas. Totidem similiter externæ & aßidentes, ambientis constitutio ex anni tempore, regione, & cœli statu cõsurgens: uacuatio suppressa uel immodicè procedens: consuetudo uictus uel generis

ris uitæ uel uacuationis. Hæ quoties immoderatè occurrunt, duplici ratione uacuationem minuendam esse commonstrant, uel quòd noxiæ nonnihil materiæ exhauriãt, uel quòd de uirium substantia quæ in calore & spiritu consistit, aliquid dissipent, idq; aliâs furtim & sine sensu per cutem, aliâs perspicuè adeo ut clam nobis esse nequeat. Præteritas causas iccirco suprà obseruabamus, ut ex ijs exquisita morbi & uirium magnitudo nobis eluceret. Præsentes aut futuræ nondum morbum aut uires immutarunt: quoniam tamen humoris aliquid è corpore uacuare & uires dissoluere incipiunt, plurimùm ad euacuationem quam proponimus momenti obtinent. Sed hæc exemplo illustremus. Esto, heri primùm in febrem unus aliquis inciderit, in quo non modò ex proprijs functionibus, sed etiã ex præteritorum animaduersione plenitudinis & uirium ualentium signa percepta fuerint. Addamus, easdem causas abhinc bidui in contrariam cõstitutionem conuersas, citra ullam tamen ex his uel corporis uel uirium insignem dissolutionem. Hac hypothesi neutiquam par fuerit, quantum uel morbus exposcit uel uires capiunt, sanguinis profundere: sed habita ratione causarum præsentium & similium fortasse futurarum, quæ tum noxij humoris portionem digerent, tum uires debilitabunt, nonnihil ex ea uacuatione subtrahemus, quã morbi magnitudo et uirium robur præstituunt, prout causarum illarum uis & multitudo postulabit. Harum quippe obseruationes legitimam uacuationis mensuram definient, quas proinde ut alij indicationes, ita & nos quãtitatis obseruationes appellamus. Quænã autem eæ sint, quasq; uires habeant, sigillatim explicandum nunc est. Calidum humidumq; corporis temperamẽtum, quod nempe ex

pe ex propria solidarum partium substantia tale, ui insiti caloris aßiduò plurimũ dißipatur ac dissoluitur, quapropter non peræquè copiosam fert uacuationem atque quod ab illo plurimùm dißidet frigidum & siccum. At quodcunq; corpus inde humidum appellant, quod multo humore abundat in uenis recondito, id facillimè uacuationem tolerat. Corporis habitus extenuatus, mollis & rarus, tum imbecillus tum multæ dissolutioni obnoxius est: contrà uerò carnosus, firmus, atq; densus, pauca sinit è corpore dißipari: qui autem præpinguis & obesus existit, quanquàm minimum dispergitur, difficile tamen uenæ sectionẽ iccirco sustinet, quòd exilibus sit uenis, quas exinanitas pinguedo facile stringit deprimitq;, ut inde metus sit ne natiuum calorem extinguat. In corporis habitu æstimanda etiã est uenarum capacitas: quibus amplæ & turgidæ spectantur, tolerabilior est euacuatio, quàm quibus angustæ. Neq; uerò humorum natura posthabenda est: tenues & calidi celerrimè dißipantur ac diffluũt, craßi ac frigidi diutius hærent. Atq; hæc quidem ad corporis constitutionem habitumq; pertinent. Aetatũ porrò quæ decrepita nuncupatur, quia uiribus est imbecillis, nullam uenæ sectionem tolerat: moribundum senem præcipitat quisquis reliquo uitæ calorem cũ sanguine profundit. Quæ inter senectutem & pueritiam media interuenit, quoniam firmis uiribus & corpore bene constituto tenetur, nulla uacuandi præsidia metuit. Inferior puerorum ætas uiribus quidem abundat, cæterùm quia corpus calidum & humidum obtinet, molle tenerum ac patens, multo tenui humore confertum, quod sponte sua aßiduò digeritur ac defluit, sanguinis emißionem tutò non feret: quantum enim ex incidenda uena moliendum fuerat, id ultrò

ultrò ex corporis natura præstatur. Has ætates nullis annorum finibus Hippocrates circunscripsit. At Galenus neq; ante annum decimum quartum, neq; post septuagesimum ijs quas protuli causis adductus, uenam tundit. Quod profectò de pleniore illa ueteribusq; consueta uacuatione audiēdum: nam moderatā quæ tùm uiribus tùm plenitudini aut par aut inferior sit, utriq; pro eo ipso quantulocunq; sunt præditi modo, facilè ferent. Sic Rhases in ætate decrepita quæ graui urgenteq; pleuritide uel peripneumonia torquetur, sanguinē emisit. Sic Auenzoar filio suo trimo se utiliter uenam secuisse commemorat. Hoc & ipsi pleriq; experimur, sexto aut quinto ætatis anno, tres sanguinis quatuor'ue uncias, pleuritidem, interiores inflammationes, hisq; grauiores morbos finiuisse. Sponte naturæ tum pueris tum infantibus lactentibus, sanguis interdum abundè prodit è naribus, nulla corporis aut uirium iactura. Est in primis consentaneum ut qui graues morbos experiuntur, ijdem poßint illorum quædā remedia sustinere. Suis uiribus ijsq; ualidis prædita est puerorum ætas, cur igitur ad illarum proportionem uacuare non possumus? Galenus causatur in illis non uiriū imbecillitatem, sed aßiduum substantiæ fluorem, quo noxius humor spontè è raro corpore dißipatur. Si iam fors tulerit eum humorem non satis eo fluore discuti, non'ne uena quasi complemento incidetur? Puer benè carnosus, plenè ac liberaliter educatus, cui amplæ uenæ, benè cocto puroq; sanguine tument, ictus uehementer, exercitatione alia'ue externa causa impetitus, ingenti pleuritide tentetur, sperare non poßis humorem in latere congestum putresentē iam atq; crassescētem, posse halitu digeri, neque totum per succingentem membranam prius exudare posse, quàm

se, quàm puerum iugulet. At uenæ sectio quæ præsertim initijs administratur, sanguinem eum ipsum celeriter educit: moxq; dolore & morbo expedit, quod nos longa experientia usuśq; rerum quotidianus edocuit. His argumentis complures adducti, aiunt Galenum à uenæ sectione non eos pueros excludere, quos pleuritis aut interior inflammatio, sed quos duntaxat febres continentes malè fatigant. In his si quidē peccantem humorem admodùm tenuem corpus rarum ac patens facilè potest exhalare, idq; præstare quod ex incidenda uena moliendum nobis fuerat. Quòd si hoc modo laborante puero uenæ amplæ & succi plenæ, corpus durum densumq; spectetur, è quo nihil aut exiguū dißipentur, non'ne huic uena secta proficiet? At inquies, ea puerum in graue discrimen adigit, dum quo plurimo indiget alimentum subtrahit. Id uerò quid metuēdum est si, ut hypothesi statuimus, uenæ copia distenduntur, neq; animus sit ad inopiam sanguinem deducere? Et hoc licet fiat, hanc non'ne mox dabitur uberiori alimento resarcire, quum ualētes sint naturæ uires? Ad extremum uerò donemus uirium robur lædi, utrum magis optandum fuerit, uel ut puer seruata plenitudine succiq; copia intereat, uel ut ea imminuta offensisq; quodāmodo uiribus à morbo uindicetur? Aetas igitur quæcunq;, modò firma sit, potest euacuationis modū aliquem tolerare. Hæ sunt interiorū causarū obseruationes, quæ spōtè intimoq; motu corpus uiresq; dissoluunt. Præter eas uerò ambientis nos aëris etiam constitutio tenenda. Regio feruens & arida multum innati calidi uiriumq;, multum peccantis humoris è corpore haurit: hinc uires comminuuntur pauciorq; sanguis manet in uenis: illic proinde contractiores parcioresq; in sanguine mittendo esse conuenit. Regio

frigidior

frigidior ac humidior, innatum calidum humoresq; intus coërcet, horumq; minimum dissoluit, quocirca sanguis abũdantiùs effundatur. Cæterùm in extremè frigida quæ plurimùm in Boream deuergit, sanguis frigore ueluti con glacians uacuationi uix cedit, sed & partes interiores si à suo calore destitutæ maneant, ambientis frigoris iniuria extinctionis periculum subibunt. Quæ inter illas intercedit regio temperatior, largißimam sanguinis profusionem tolerat. In anni temporibus uer temperatum, succi uiriumq; plenum, sanguinem largiùs fundi permittit: estq; uere secta uena præcauẽdis morbis idonea. Post Ver, Autumnus, deinde hyems, omnium uerò minimùm æstas. Cœli status quicunq; calidior obtigerit, ut subsolana uel austrina tempestate, parciùs: qui frigidior, ut ualido Aquilone aut Fauonio, & is quoq; parcè: largiùs autem quicunq; clementior nulla ingenti tempestatum ui iactabitur. Tria hæc in ambientis constitutione perpetuò implicita atq; colligata, iam in unũ conferamus. Regione frigida & hyeme premens Boreas prorsus uenæ sectionẽ nobis interdicit, solusq; Auster placidior illam admittit. Regione autem feruida & æstate, quum perflat Auster, uenam tundere formidolosum: aut quum Boreas æstũ temperat, tutißimum. Hæ igitur causæ tum innati calidi, tum humorum substantiam, uel conseruant, uel dißipant, sed tamen obscurè ac sine sensu. Cæterùm plerunq; manifesta copiosaq; uacuatio præter naturam tum erumpit, quum uenam secare proponimus, ad quam multò magis quàm ad obscuram illam attentos nos esse oportet. Aestimare siquidem & quasi metiri par est, num ea noxiũ quem uolumus sanguinem penitus effundat. Si huius nihil euacuat morbiq; neceßitas impellit, uenæ sectio prætermittenda

mittenda non est, præsertim si uires spontanea illa uacua tione nondum in magnam offensionem incurrunt. In uehementi pleuritide, quo tempore fortè fortuna erum= pet totius corporis sudor, aut uomitio, aut alui profluuiū, sanguis mitti non debet: at sedatis illis paulumq; recrea tis uiribus, uena tundenda. Symptomata enim quum illa sint, neq; morbi substantiam detrahunt, neq; uicaria esse possunt phlebotomiæ. Sic in febre ardente, lienteria quæ ex frigidæ potu immoderatiore, laxato dissolutoq; uen- triculo inciderit, uenæ sectionem non uetat. At quoniam uires inde paulò imbecilliores euaserunt, harum seruata dignitate sanguis parciùs emittetur. Quum autem spon tanea illa uacuatio morbi substantiam demit, si fluoris impetus tantus apparet ut iam ægrotum leuet, speresq; quantam requiris uacuari posse, rem omnem naturæ com mittes. Si minus id speres, tantum ipse detrahes, quo ex coniunctis ambobus perficiatur quod postulas. Quæ spon te natura perfectura est, ne tangito: inchoata uerò nec perficiēda, completo. Itaq; in pleuritide, in febre aßidua, si sanguis abundantiùs ex utero, ex hæmorrhoide, uel è naribus dimanet, iustaq; sit uacuationis quantitas, ex qua æger satis leuetur, uenam non incides. Sin uerò par= ciùs aut lāguidiùs ex his locis profluit, morbusq; interim uehementer urget, quod deficit, uenæ sectione supplendū. Eadem ex causa in dysenteria purgans medicamentum offertur, ut quod sensim & languidè per anfractus parū idoneos elabitur, affatim per ductus cōueniētiores deriue tur ac defluat. Cōsuetudo porrò nobis obseruāda in uictus ratione, in uitæ genere, et in euacuatione. Qui frugaliter siue ex consuetudine, siue ex morbi impedimento uicti= tant, parciùs uacuādi sunt quàm qui liberaliùs pleniusq; uiuunt.

uiuunt. Qui uenæ sectionem iam est expertus, modò uires crebra uacuatione nondum sint læsæ, alacriùs ac leuiùs eam perferet quàm inexpertus. Consueta quippe mala, minus sunt infensa. Quapropter opinione sua uulgus lon gè fallitur, qua primam uenæ sectionem ut in primis salutarem suspicit, & quasi ueneratur, conseruatq; in extremos usus cõmodaturã. Hæ sunt causæ omnes ex quibus præteritis morbi magnitudo uiriũq; præsentiũ robur, ex præsentibus illis et ex futuris inter se comparatis, futuræ uires profundẽdiq; sanguinis quantitas innotescit.

FVTVRORVM OBSERVATIO, aut ueriùs prouisio præfiniendæ quantitati necessaria.

NOn solùm uires præsentes emetiri, uerumetiam futuras prospicere acuti sapiẽtisq; est medici. Quum enim post uacuationem nonnihil etiam morbi relinquatur, par est uirium robur ita tueri atq; conseruare, ut & alia deinceps adhibenda remedia ferre queant, & morbi longitudini atq; iudicio satis esse. Quinetiam ne posthac intempestiuè & alieno tempore nutrire cogamur, sangui nis nonnihil retinendum asseruandumq; est ad morbi cur sum & ad curationis spatium. Futuras uires æstimabimus tùm ex causis procatarcticis quæ præsentes sunt, & posthàc etiam perseuerabunt, tùm ex symptomatis quæ præter opinionem incident. In causis procatarcticis præcipuæ sunt, cœli constitutio, & uiuendi ritus. Cœli constitutio si calida euaserit & sicca, ac istiusmodi posthàc expectetur, restrictiùs sanguis emittetur quàm si frigidã fore cõijcimus. Rursum si prospicimus ægrotum tempe-

ranter sobrieq; uicturum, uel quia potionis et cibi sublata est appetentia, uel quia morbus deuorare non sinit, ut in angina fauces præcludente, parciùs euacuare monemur quàm si pleniùs is uiuat. Seruare tum aliquid sanguinis oportet, tãquam naturæ thesaurum & suppetias, in leuamen futuræ penuriæ. Iam uerò repentina et inopinata symptomata, quæ uires summoperè eneruant & perrũpunt, sunt dolor uehemens, uigiliæ, uacuationes præter spem erumpentes, & in primis syncope. In hanc quidem non pauci quàm mox ab aperta uena ex consuetudine incidunt, uel quòd natura sunt imbecilliores, uel quòd timore magno perculsi uires omnes effundant: uel quòd os uentris amara bile perfusum, aut quàm maximè acri sensu præditũ & infirmũ nacti sint. Quũ igitur aliquid eiusmodi futurũ suspicamur, quanquàm uires nunc ualẽt, sanguinẽ tamẽ uel nullo modo uel perparcè mittemus, nisi fortè huic periculo antè sit occursum. Sũmæ autẽ prudentiæ fuerit repẽtina & inopinata quæcunq; incident, longè prospicere atq; præcauere. Hæc iam exemplis illustremus. Esto quispiam natura sanguineus, corpore benè carnoso, denso ac firmo, ætate florenti, qui multorum dierum numero luxuriosum uitæ genus secutus, alimentis se expleuerit solidioribus & ualentis materiæ: qui pristinam exercitationis consuetudinem intermiserit, domiq; otiosè uixerit, cui sanguinis ex naribus, ex utero, uel ex hæmorrhoidibus uetus consuetaq; eruptio iampridem substiterit: adeò ut ex harum concursione causarum corporis habitus non mediocre incrementum ceperit, & uenæ natura amplæ præ copia distentæ sint. Quocunque tempore hominem ita constitutum grauis uehemensq; febris uel inflãmatio prehendet, quàm mox sanguis profundetur,

fundetur, isq́; copiosus : quandoquidem tum morbi tum causæ magnitudo id expostulat, ex præteritorum obseruatione confirmata. Quòd si his etiam præsentia consentiunt, adsitq́; aëris constitutio ex regione, anni tempore, & ex tempestate collatis, moderatè frigida & humida, ægrotus ad uacuationem procliuis sit: posthac uerò morbus non ad multos dies longiùs producatur, nulla calidioris futuræ tempestatis significatio appareat, nulla itẽ futuri doloris, uel inediæ, uel uigiliarum, uel spontaneæ uacuationis comminatio intendatur: his ita in unum conspirantibus, quis dubitet largißimam sanguinis mißionẽ imperare? At uerò hisce contraria omnia, quem non subitò à sanguinis detractione auocabunt? Permiscentur plerunq; ac prorsus inter se pugnantes existũt obseruationes, ac tum prudenti acriq́; iudicio est opus, quo ex comparatis illis uacuationi modus præscribatur. Præteritorum obseruatio plerunq; copiosum sanguinem fundendũ monet, cuius tamen libertatem nobis præsentium obseruatio subtrahit, ut si corpus pingue obtingat & album, laxum & molle, tenuisq́; succi plenum, adsit æstas, regio æstuosa, cœliq́; status calidus ac siccus: omnino huic sanguinem non mittes: satis enim ex seipso non modo obscurè, uerumetiam manifestè uacuatur. Parum uerò detrahes in eo ipso habitu, si hyems adsit, & regio frigida, cœliq́; status Aquilonius. In hac autem rerum permistione, non obseruationum multitudinem sed potestatem uelim attendere, quòd una plerunq; reliquas omnes dignitate præstantiaq́; superet. Qui neq; artis cognitione, neq; longo rerum usu, neq; prudenti synceroq́; mentis iudicio, cõfidet se posse uacuationis quantitatem definire, is Hippocratis consilio potiùs infrà subsistat, quàm exquisitè uacuet.

cuet. Hoc autem loco non abs re fuerit diligẽter perscrutari, sit'ne uteri gestatio inter obseruationes habẽda. Ipsa ueritatis species multa probabilitate suadet, in prægnantibus graui morbo implicitis temperandum, ob fœtum qui utero cõtinetur, Hippocratis patrocinio ac sen
Aphor. 31. 5. lib. tentia hunc in modum defensa: Mulier utero gerens sanguine misso ex uena abortit, idq; magis si fœtus auctior est. At certè hoc perpetuum minimè est, ut neq; illud
Aphor. 30. 5. lib. quod proximè ante id scribitur: Mulierem utero gerentẽ capi ab acuto morbo lethale est. Hinc solùm monemur horum euentus periculosos et ancipites esse, præsertim si morbi inter primos ordines sunt acutorum. Quum enim purgatio quæ malignis fit medicamentis, periculo grauiori quàm par, uenæ sectio decernatur, si Hippocrates grauidæ morbo ex cacochymia tentatæ purgationẽ largitur mensibus, qui tertio & octauo interponuntur: nos profectò iisdem multò tutiùs sanguinẽ emittemus ei, quæ aliquo plenitudinis morbo conflictabitur. Omnia siquidẽ eiusmodi medicamenta immodico suo calore & uenenata perniciosaq; substantia: item exagitatione uiolenta, fœtui magis officiunt quàm uenæ sectio. Si media gestatione, longè tutiùs id initio factu fas est: quòd sanguis magis redundet, & fœtus minori egeat alimento. In febre assidua sexto gestationis mense, die septimo sanguis adeo copiosus è naribus cuidam effluxit, ut peluim impleret, exæquaretq; libras paulominus quatuor, superstite matre, seruatoq; fœtu in maturum pariendi tempus, uegeto ac uiuido. Sæpe etiã prægnans supra mẽsem octauũ in morbo uenam aperuit, nullo fœtus incommodo. Quid quòd tanta plerunq; copia inest in uenis, ut modum excedat matri fœtuiq; alendo idoneum, quodq; copia sæpe in

abortus

abortus discrimẽ adducit? Hîc igitur quid incõmodi futurũ rere, si nimiũ illud subtrahatur, nulla uehemẽtiore suborta exagitatione? Si natura illius superuacui effusionem interdum spontè utiliterq; aggreditur, per nares, per hæmorrhoidas, aut per uterum: si primis nonnunquàm mẽsibus, uel toto impregnationis decursu, menses statis temporibus salubriter effluũt: cur non similiter nobis liceat premente necessitate naturam arte imitari? Neq; uerò in plethora sola, uerumetiam citra hanc quum pleuritis, aliáue inflammatio superiora occupat, prægnanti uena in cubito cæsa, nihil aut minimum fœtui incommodat: affectam uerò sedem multo pondere subleuans, matrẽ fœtumq; periculo subtrahit: sed maiore adhibita cautione quàm si plenitudo subsit. Inferiores prægnantium uenas resignare minimè tutum, quod impetu deorsum conuerso menses procedant immodicè, præcipiteturq; fœtus. Ego quid hac de re sentio, dicam: prægnanti quàm plethora fatigat, moderatam sanguinis emissionem nequicquam officere, si ratione & consilio fiat. Quum abortus insequitur, alijs ex causis hunc fieri, aut quia affatim ac repentè facta euacuatio, spiritus, humores, & uterum cõturbat, acetabulaq; dissoluit: aut quia repentino motu et timore mulier cõcutitur, aut fortassè leui ex causa abortire consueuit, uel ob uteri imbecillitatem, uel ob lubricũ lentorem: quæ causæ etiam solæ & solitariæ fœtum intempestiuè excludunt. Itaq; prægnans morbo conflictetur grauiore, sitq; ualentibus uiribus & forti animo, nec metu perturbetur, & uasa plena sint, nec inedijs exinanita, huic tutò una aliqua ex superioribus uena incidetur, ex qua sanguis sensim elabetur. Hac in re Cornelius Celsus morbi duntaxat uiriumq; magnitudinem animaduertit. Cor. Cel. lib. 2. cap. 10.

Antiqui, inquit, primam ultimamq́; ætatem sustinere nõ posse hoc auxilij genus iudicabãt, persuaserantq́; sibi mulierem grauidam, quæ ita curata esset abortũ esse facturam. Posteà uerò usus ostẽdit, nihil ex his esse perpetuũ, aliasq́; potiores obseruationes adhibendas esse, ad quas dirigi curantis consilium debeat. Interest enim non quæ ætas sit, neq; quid in corpore intus geratur, sed quæ uires sint. Firmus puer, et robustus senex, et grauida mulier ualens, tuto curantur. Itaq; uteri gestatio, quemadmodũ & ætas, inter quantitatis obseruationes habenda.

QVO MORBI TEMPORE, QVA die, quaq́; hora sanguis emittendus.

MVltis iam argumentis antè demonstratũ est, uenæ sectionem hisce duntaxat morbis opitulari, quorũ causa aut in uasis concluditur, aut è uasis in partem aliquam incubuit: omnesq́; conatus nostros eò spectare debere, ut interior illa morbi causa primùm tollatur. Quũ igitur uel plenitudo uel aliqua eiuscemodi causa subest, debet ea uenæ sectione summoueri, idq́; quàm mox & ineunte morbo. Hoc enim pacto quicquid morbi in posterum gignendum est prohibebitur, quicquid uerò genitum & procreatum iam est, profligabitur. Sic febres ardentiores antequàm sanguinis moles feruoris incendio torreatur, aut uehementior putredo inualescat, acceleratum hoc remedium extinguit. Sic & interiores inflãmationes hoc auxilij genere initio radicitùs eruũtur, dum qui in partem confluxerat humor nondum obhærens, profluẽtis sanguinis impetum cursumq́; sequitur. Eadem & Galeni sententia ait in febribus priusquàm ualida putredo

uenas

uenas inuadat, maturandam esse sanguinis mißionẽ: quòd si phlegmones initio itidem fiat, proculdubiò ipsius incrementum arceri, plerunq; & hanc omninò sanari. Vires per initia firmæ sint & constantes, nec admodum ijs dissimiles quæ pridem erãt integra ualetudine. Si quo igitur tempore, ipso maximè initio hoc præsidij genus tolerabunt. Qui aut plenitudine aut fluxione permanente alia uelit remedia producere, euerso medendi ordine affectum conduplicabit, uiribusq; negotium facesset. Itaq; uenæ sectio morbis quibus conuenit incipientibus si decernatur, sublata multitudine, quod reliquũ erit faciliùs natura concoquet & euincet. Acceleranda igitur uenæ sectio, si modò nihil obstet eorum quæ præparantia nuncupabimus: maximè uerò si uentriculus primæq; uenæ nec ulla humoris corruptela, nec cruditate, nec cibo semicocto confertæ sunt. Præcepit quidem Auicennas in morborum principijs phlebotomiam prorsùs dimittere & concoctionem expectare, dum morbus principium statumq; præterierit: atq; tum solùm illam conferre assueuerat. Quod non de solis partium morbis quos antè percensuerat, audiendũ putat, quum & mox idipsum de febribus omnibus præcipiat, maximeq; de sanguinea febre, in qua quum aderit concoctio, iubet sanguinem profluenter educere. Hæc autem nostris ut Galeni placitis quũ ex diametro pugnent, perpendendum quibus illa rationibus suadere contendat, ut controuersia ad unguem discussa, ueritas ipsa clariùs eluceat. Inquit igitur per initia præcisam uenam noxios humores extenuare, eos per corpus quoquouersum impellere, sanguini puro & syncero eos permiscere: nonnunquàm etiam nos expectatione nostra adeò decipi, ut cum salubri nihil prorsus uitiosi humo-

ſi humoris educatur . Ex animi uerò ſententia atq; uoto omnia ſuccedere, ſi expectata cõcoctione quum iam mor bus principium & ſtatum præterierit , ſanguinem detrahamus . Sed minimè tam inconſyderata eius temeritas ferenda eſt:neq; audiendi illius explanatores, quorũ dicta quotidie re & euentis refelluntur. Quæ enim abſurdior futiliorq; ſententia hac excogitari poßit,phlebotomia humores extenuat,quũ ex ſuperiorũ demonſtratione dilucidè cõſtet,quadam ante phlebotomiam eadem & poſt hanc proportione , humores in corpore retineri ſeruariq;? Si qua fortè mutatio incidit,quum tenuis humor expeditiùs celeriuſq;, craßior ægriùs & pigriùs emanet, ueriſimilius eſt phlebotomiam ſanguinem & humores incraſſare debere. Cur deinde hæc humores exagitet? ſi multitudinem demit quæ perturbationum & mor bi cauſa fuerat ,debet eadem omnia mitiora & tranquilliora reddere. At ſi peccans materia ſanguini permiſcetur in uenis, cur hæc ſecta uena non pariter foras exilit? Sed iam pleniùs æſtimata rei ueritate,donemus mor bum quempiam uehementem & acutum ex ſolius ſanguinis exuperantia natum,cuiuſmodi ſunt utraq; ſynochus,putrida febris ex plenitudine,angina,pleuritis,peripneumonia,iecoris,altarumq; partiũ inflãmationes.Hæ ſi peracutæ ſunt & periculoſæ, & præ ſanguinis copia præcipites,quis nõ ſtatim ipſo initio uenam tũdet? Quis quum adhuc uires integræ ſunt non eam plenitudinem prorſus eximat,quæ morbo cauſam dedit,& quæ in uitæ diſcrimen adducit ? Hoc conſilio Galenus in ſynocho feſtinat ſtatim initio ſanguinem ad animi defectionem mittere,antequàm,inquit,materia putreſcat. At uir egregius,ſcilicet,in ea febre ſanguinea, principio ſanguinem

parcè

parcè mitti, abundantius uerò dum coctionis signa comparebunt. At quam quæso concoctionem expectat sanguinis optimi & benè cocti, qui sola multitudine peccat? In his igitur ut in ualdè acutis, Hippocratis consilio, tardare malum est: sed statim si uires integræ & ualentes erunt, ad animi usque defectionem ducendum. Si minus acuti & uehementes erunt morbi, etiam per initia sanguis effundetur, at parciùs pro multitudinis ratione. Quum enim morbi inchoant, si quid mouendum uidetur, moue, & maiora initijs hæc affer remedia, quibus quod exuperat euacuatur, minoremq; factam materiam expeditiùs poßit natura concoquere. Num igitur in his uenæ sectionem omittemus, & cum Auicenna expectabimus dum concoctio eluceat, & morbus principium statumq; præterierit? Sicci'ne morbum sinemus suo impetu proteruire, ægrotum tam immaniter iactari, citra ullam artis opem? Si exitialis is erit, ad concoctionem nunquàm perducetur: sin salutaris uel anceps, post statum ipsáq; in declinatione quũ iam prorsus euictus erit, & laborans à periculo tutus, quid tum uenæ sectione erit opus? Sed age hoc loco temporum morbi, & concoctionis uim expendamus. Natura concoctione impuros noxiosq; humores è purioribus secernit: hos ut conseruet, illos ut tandem foras deturbet, aut sola aut medicamenti ope. Atqui uenæ sectio nullo delectu omnes qui in uenis sunt, promiscuè & indiscriminatim prolectat. Quorsum igitur hæc ut fiat, humorum concoctionem atq; secretionem præstolemur? Tantùm abest hoc ut efficiam, ut etiam Galeno assentiar, concocto consistentiq; morbo, nullam uenæ sectionem adhibendam. In angina, in pleuritide, in iecoris alterius'ue partis inflammatione, ut pri

mùm abſcedens materia concocta atque purulenta de-
prehenditur, nemo hanc uenæ ſectione, ſed aliter per bre
uiores proximasq́; uias educit, ne reliquum purum ſan
guinem contaminet: ita in febribus quarum materia in
uenis coërcetur, concoctus ac iã ſecretus humor, medica-
mento deriuandus deturbandusq́; eſt. Qua in re tum tẽ-
poris naturam habebimus adminiculantem, quæ ſecretos
humores foras excludere contendit. At ſi quis hoc tempo
re uenam auſit incidere, non eos ſolùm ſed pariter uti-
les eliciet: quodq́; grauius eſt, eos qui ui naturæ ſecre-
ti fuerant, puro ſanguini exagitatione permiſcebit, hunc
inquinabit, omnia confundet, naturæq́; molitionem opti-
mam interpellabit. Quibus in morbis concoctionis mani
feſtæ ſigna comparebunt, non amplius uenæ ſectione, ſed
aut purgatione, aut alijs deriuantibus præſidijs reliqua
curatio tranſigenda: niſi, quod interdum fit, cruditatis ſi-
gna denuò ſe prodant. In febribus uacuata multitudine
ubi quæ putruerant concocta apparent, per aluum uri-
nas & ſudores ea uacuare tentandum. In pleuritide &
in peripneumonia quæ putruerant & in pus conuerſa
ſunt, per ſputa: in iecoris inflammatione, caua quidem
per aluum, gibba per urinas, quemadmodum & renes:
ſingula deniq; per loca proxima & conuenientiora. Si
metu, ignauia, alijs'ue occaſionibus uenæ ſectio primis
morbi diebus adminiſtrata non eſt, quocunq; die etiam ui
geſimo in ægrum incideris, ſi plenitudinis atq; cruditatis
ſigna permanebunt, hoc præſidij genus adhibendum, mo-
dò uires ferant, neque ſint morbi diuturnitate collapſæ.
Non enim dierum morbi numerus phlebotomiam per ſe
ac primùm dehortatur, ſed quòd ſæpius temporis pro-
greſſu uel concocta eſt morbi materia, uel uires diſſolutæ
ſunt.

ſunt. Vt autem uniuerſalium temporum, ita particulariũ & dierum, quibus morbi recurrunt delectus habendus, in his potiſsimùm morbis quorum certa eſt uel intermiſsio uel remiſsio. Vacuatio non excandeſcenti, ſed miteſcenti morbo afferenda. Natura quidem plerunq; febriũ maximeq; intermittentium inuaſionibus, uomitiones, & declinationibus ſudores commodè ciet, quo tempore nobis etiam licet eadem utiliter arte promouere: at nõ uel alui deiectionẽ uel uenæ ſectionẽ. In acceſsionibus ab ijs omninò temperandũ eſt, ut quas neq; natura tum molitur: ſi quæ fortè incidunt, ſolius morbi feruore impetuq; fiunt. Nulla eiuſmodi uacuatio quæ uires ſupra modũ laceſsit, uix tutò poſsit in tanta acceſsionum quaſi fluctuum agitatione obiri: quum humores tum maximè quodam quaſi æſtu incitati efferueſcant, obturbatiq; permiſceantur, nulla etiam queat iuſta eorum fieri ſecretio. Eſto etiã peccans morbi materia extra uenas maiores excandeſcat, ſi hoc tempore uena reſignetur, metuendum erit ne illa in uenas exinanitas è ueſtigio commigret, fiatq; ex intermittente continens. At uerò maxima morbi tranquillitate uena ſecta, uix ullum naturæ negotium faceſsit, ipſamq; multitudinem è uenis maioribus eripit, nullo continuæ metu. Maxima tranquillitas eſt medio remiſsionis intermiſsionis'ue tempore. Si ſpatia inter acceſsiones porriguntur, facile ſit medium ipſum pro rerum cõmoditate deſignare: ſin anguſtum, difficile, quòd interdum uix occaſio ſeſe offerat, ut uel ante uel poſt uenæ ſectionem opportunè ægrum cibo deſtinemus. In quibus morbis uel præcautionis uel curationis gratia, poteſtas datur ſanguini mittendo horam deligere, conuenientior erit matutina quàm pomeridiana. Nam à ſolis exortu ſanguis ſuſcitatur,

scitatur, uiget atq; dominatur, ipsoq; diei lumine tenuis, serenus fluxuiq; fit aptior: maximè secunda tertiáue hora. Hac ipsa ne æger sopore torpeat, sed experrectus insomnem horam saltem unam duxerit, hesternum cibum integrè concoxerit, sitq; alui & uesicæ munia executus: eò magis si una quæpiam ampliorum uenarum erit incidenda: nam exiles è quibus sanguis parciùs emanat, nulla istiusmodi obseruatione præciduntur. Astrologica etiã obseruatio ut non parũ efficax tenenda. Cæterùm in uehementi et suffocante pleuritide, uel in angina, in sanguinis immoderato fluore, in extrema uasorum plenitudine, in alijs deniq; morbis qui nimiùm præcipites sunt, nihil istiusmodi delectus habendus, sed quacunq; hora uehementer ij prement & instabunt, hac ipsa uenam præcidito. Quinetiam in febribus alijsúe morbis qui circuitibus affligunt, quietis aut remissionis animaduersio multò præstantior quàm matutini temporis. In quacunq; igitur diei noctisúe horam remissio inciderit, cæteris in id ritè administratis uena tundetur.

QVAE ANTE VENAE SECTIONEM *præparatio afferenda sit.*

VT ad uenæ sectionem opportuna temporis occasio, ita corporis idonea præparatio adhibenda, qua neglecta, ægroto plurimùm offensionis impendet. Est autẽ maxima potissimaq; præparatio partium quæ in prima corporis regione sunt, puritas & expurgatio: ut nihil insit in illis uitij quod opus impediat aut certè remoretur. Vitia ea sunt uentriculi primarumq; uenarum cruditas, noxiorum humorum colluuies, aluus fæcibus adstricta, os uentriculi nimiopere sentiens uel imbecillum: hæc non

omninò uetant & excludunt, sed duntaxat retardant uenæ sectionem dum arte sint sublata. Si enim quum uentriculus cibi copia tumet, quem nondum confecerit, sanguinē profundas, necessariò crudi succi plurimùm in sanguinis locum traijciet, quod uenæ exinanitæ indigentesq; rapient. Eadem ex causa suppreßiore aluo si uenam eliseris, iecur exhaustæq; uenæ, sordidum quiddam & impurum è fæcibus exugent. Qua ratione Galenus uel in synocho febre, quæ omnium maximè accelerato hoc præsidio gaudet, quum ciborum cruditas est, tantùm moræ in uena tundenda interponit, quantùm satisfacere tum ad eorum concoctionem, tum ut excrementa descendant, uidebitur. Hæc sponte nisi succedant, clystere uel balano proliciēda sunt, prunis, uel casia aluus emollienda. Coctus crudus'ue cibus internoscitur ex ructu, ex uentriculi pondere, ex accepti cibi copia, & ex tempore quo acceptus est. Quum porrò corruptus humor in uentriculo, aut in aßidentibus partibus exuperat, siue illic genitus est, siue aliundè, uelut ex capite, ex iecore aut ex liene procubuit, multò magis differēda est uenæ incisio, dum sit expurgatus. Secùs enim noxius infensusq; humor multò maiore detrimento quàm cruditas rapitur in uenas, hasq; impuritate multa polluit: undè aliâs obstructiones, uel cachexiæ fiāt, aliâs morbi quibus mederi scopus est ingrauescant, euadantq; eorum symptomata sæuiora. Quinetiam impuri humores impetu ferociaq; concitati excādescunt, uentriculū præcordiaq; uellicant: hinc nausea, conuulsio, lipothymia, syncope, & alia symptomata, quæ terroris & metus plena sunt. Vna bilis in os uētriculi tum effusa, omniū maximè hæc inuehere solet. Has autē partes à putridis humoribus occupari portendunt, cibi fastidium, nausea, humoris

uomitio,

uomitio, frequẽs alui deiectio, uentriculi grauitas aut dolor, uentriculi præcordiorum'ue tumor atq; distentio. Quæ signa quoties præter ullam ciborum cruditatem in ægris apparebunt, è prima corporis regione antequam uena secetur deturbandus est uitiosus humor, illorum author & uelut seminarium. Vomitione id molliendũ si sursum uergit, hausta potione uel aquæ, uel hydrelei tepescentis pondo selibræ: alui autẽ deiectione si eò declinat. Casia in id parum efficax, ut quæ sola ui leniente et emolliente prædita, tenaces ualdè & glutinosos humores non deter git, nec ex aluo subducit. Accommodatior est hiera picra, si febris non reclamat, uel rheubarbarũ, uel senna, uel agaricum, uel pro humoris specie aliud quoddam blãdum, cuius uis uniuersam corporis molem neutiquam exagitet. His non modò semel, uerumetiam secundò & tertiò pro rei necessitate, uti expedit: sub hæc tamen mox ad uenæ sectionem accingendum. Quando quidèm humorum uitia, quum in omnes corporis regiones pariter irruerunt, uacuandi methodus summaq; artis præceptio est, illas ordine quanq; suo uacuare, mesenterij quidem uenas ante maiores, atq; has rursùm ante corporis molem. Non autem contrà, ne ex primis uenis in maiores, aut ex his in corporis habitum noxij humoris sit traiectio: quod sanè est non expurgare sed inquinare & labefactare corpus. At ex habitu corporis in uenas maiores, aut ex his in primas atq; in aluum traducere consentaneum est. Hoc loco quàm plurimi grauiter hallucinantur atq; peccant, qui nulli non affectui illa uulgo ridicula ratione medentur, clyster, potio, phlebotomia, atq; in implicitis affectibus quos proposui à uenæ sectione curationis exordium inducunt, putantq; nefas esse hãc circa initia

prætermit-

prætermittere, alio'ue prorogare. Tanti plerunq; momẽti sunt primæ regionis corruptelæ, ut non solùm uenæ sectionem remorentur ac tardent, sed omninò præpediant. Nã neq; in hydrope, neq; in cachexia, neq; in scirrho iecoris, aut lienis, uel exigente alterius morbi importunitate, scalpellum admouemus. Tertium uitium cui præparatio ante uenæ sectionem adhibetur, erat oris uentriculi sensus eximius aut imbecillitas. Eximius est sensus quibus nerui è cerebro mißi, molles sunt, teneri, nudi, aut occursantibus rebus obuij: qui constituti hunc in modum sunt, uix absq; offensa deuorant, acria, acida aut salsa, quod genus habentur, acetum, piper, sinapi. Imbecillitas, siue ex intẽperie siue ex rariore fibrarum structura prouenerit. Inde constat quod nec cibus appetitur, nec facilè fertur, sed eo accepto dolor est, interdumq; uel nausea, uel cibi uomitio. Qui sic affecti sunt, ut ex leuißima occasione, ex inedia, ex ira, ex tristitia, uel timore, ita sanè ex phlebotomia quæ pariter cum sanguine spiritus dißipat, & reliquos humores commouet, uel conuulsione uel comitiali morbo, uel syncope stomachica tentantur ad internitionis periculum, uel in alia deniq; symptomata incurrunt, quæ huius partis occasione nasci proditum est. His itaq; ante uenæ sectionem consulendum, osq; uentriculi muniendum ijs quæ corroborant, quæ humorum acrimoniam retundunt, & quæ humoris influxum arcent. Id genus sunt, succus mali punici, mali cotonei, medici, citrei, limonum, oxiacãthæ, uuæ acerbæ, uel acetum, aut qui ex his fiunt syrupi. Aut si qua frigidæ intemperiei suspicio inest, ex usu erunt calida aromatica, maximè syrupus menthæ, diacydonion, uinum austerum aut aromatites. Horum tantulum, uel panis optimi momentum his intin-

ctum cōferetur: mox uerò ut æger paulū quieuerit, uena incidetur. Ea est omnis præparatio uenæ sectioni præmittenda, quū morbi clementia concedit. At nonnunquàm morbus tam immanis & importunus est, ut nulla præparatione nullaq; cunctatione festinādum sit: uelut in habitu athletico à quo præsens aut suffocationis, aut ruptionis uasorum periculum impendet: in uehementißima pleuritide, in febre ardentißima eaq; maligna, in casu & prolapsione, aut in obtritu graui. Imminentis periculi euentus in his magis reformidandus est, quàm iactura ex nōdum præparato corpore. Neque uerò corpus solùm, uerumetiam ducendus humor ante uenæ sectionem apparari debet. Quum enim craßior aut lentior sanguis inerit, siue per se & ex proprio statu, siue ex aliorum humorum alluuione, uixq; spes sit eum facile uel per idoneam sectionem posse deriuari, is si occasio sese offeret, extenuandus est & detergendus, interdum tribus quatuor'ue diebus, idq; mulsa quæ aliquid hyssopi, thymi, origani, nepitæ, aut pulegij habeat uel incoctum uel inspersum, uel certè oximelite. Per id tēporis uictus præstituetur extenuās, ut cui uis insit eadem: simul frictio lenis, & moderata excercitatio. Interdum & balneæ necessariæ, quæ humores plurimùm liquant fluxosq; reddunt: in corpore tamen ad modùm plethorico & in suspecta inflammatione, declinandæ. Hæc præparatio inueteratis partium affectibus efficaciter est profutura, si insuper partis humor idoneis fotibus excitetur. Sic diu cohibita menstrua, diuturnos capitis dolores, artuum, laterum ex attritu dolores, fotibus cuiq; idoneis percitos, uenæ cōuenientis sectio repētè sustulit, qui ualidis purgationibus nō cesserāt. Itaq; ut purgationi uenæ sectioni præparatio interdū præmittenda.

QVID IPSO SECTIONIS *tempore faciendum.*

COnuenienter præparato corpori uena incidetur. At quoniam dum uel stamus uel sedemus animalis facultas corpus sustinens laborat, ipsaq; intestina ac uiscera ex præcordijs pendentia, uitali naturaliq; facultati uim inferunt, uenæ sectio uix eo statu integrè administrari potest, ut quæ una sæpe ad animi defectionem deducat. Proinde decumbenti ægro, in maxima tum corporis tum animi tranquillitate uena incidatur: potißimùm si uires imbecillas esse, aut syncopes metum subesse constet. Sit pars quæ inciditur prona, sit et in hanc facilis directusq; sanguinis cursus, ex corporis ea sede quam plurimùm exinanire proponimus. Artus confricetur dum incalescat, & proximè supraq; eum locum in quem scalpellus adigetur, arctiùs uinciatur, ut sanguine prolecto uena tumentior, in conspectum se det. Infrà etiam illigari mos est, quum tremula inconstansq; uena ad scalpelli quemuis impulsum subterfugit, aut è sua sede dißilit. Constat autem quibus densa & squalida cutis est, & quibus angustæ uenæ, aut in altum demersæ, multa carne uel adipe obductæ, ijs multò arctiùs uinculum inijci debere, quàm quibus diuersa est constitutio. Minores pedum manuumq; uenas, quia hæc non satis implent, in calentem aquam demittimus, quæ & profluenti sanguini impetum facit. Si ne sic quidem uena in apertum promatur, eam quo loco inesse solet, digitorum impulsu percunctare, dum sanguinis fluxu & incursione, illius sit explorata sedes. Hancq; signatam, scalpello industrius artifex feriat. Sedulò etiam atq; etiam prospiciat, ne uel flatu tumidum

locum,

locum, uel arteriam, uel tendonem pro uena petat. Interdùm enim iniecto arctiore uinculo aliquid uenæ simile intumescit: interdùm pressa arteria motu uacat, & pro uena se profert. Scalpelli mucro sit acerrimus, ne retusior aut non tutò lubricā uenā subeat, aut pressu dolorē inferat, qui tumoris fluxionem accersit. Hunc chirurgus uisu perspicaci manuq; ualida, summis digitis prehendet, nec plus mucronis proferet quàm ad penetrandū sit satis: manu altera membrū eiusq; pollice uenā stabiliet, sensim nullaq; festinatione scalpellum intrò suauiter, quod satis erit impellet. Venæ quæ in articulis, in brachij flexu & in poplite extant, in rectum diffissæ, tardiùs coalescunt, quòd articuli motu uulneris labra dehiscant: neque eiusmodi fißio tentanda, nisi quum iteratione est opus. Extra articulos, ut in capite, in manibus, uel in pedibus quæcunq; emergūt, diuersa sunt ratione. Nam in rectum fissæ cicatrice celeriùs obducuntur, quòd labra semper inter sese coëant. Sub interiore quæ basilica dicitur, ferè comes arteria delitescit, & sub media neruus, utrisque musculorum tendones plerunq; substernuntur. Cephalica licet difficilis, omnium tamen solet esse tutißima. Chirurgus ne in tendonem, in neruū, aut in arteriam impingat. Ex neruo aut tendone puncto dolor ingens, stupor, resolutio, & brachij conuulsio cum tumore interueniunt. Arteriæ sanguis ægrè compescitur, illiusq; magna ui effusa uirium sequitur exolutio. Punctum neruum aut tendonē, indicant doloris uehementia & insequens conuulsio, atq; tumor. Huius si qua erit suspicio, uulnus ne coalescat, dū ab impendente phlegmone uindicatum sit, & dies duo tres'ue abierint. Inhibebitur autem coalitus fotu tepentis olei. Lapso triduo si dolor cōquiescat, nec noui quicquam obrepat,

obrepat, ſinatur coaleſcere. Sin minus, adhibeantur aperientia, attrahentia, & qualia neruis compunctis conueniũt, ut terebinthina, adiecto interdũ euphorbij momẽto. Aperta arteria, ſanguis emanat tenuis, rubicũdus, igneus, & pulſu quodam exiliens. Subſidio autem eſt emplaſtrũ ex aloë, myrrha, thure, & bolo armeno, quæ oui candido & pilis leporis ſint excepta. His dein lintea ex liquore roſaceo imbuta inſternentur. Emplaſtrum faſcijs obuoluetur firmè ac tutò, ne triduo excidat, hoc blandè ſummoto ſimile denuò imponendum. Si ne ijs quidem arteria coaleſcat, tota trãſuerſim diſcindatur, ut extrema utrinq; reuulſa molli carne obducãtur. Rurſum autẽ quod ad ſectionis modũ facit: ſi craſſus aut uiſcoſus ſanguis, qualis melãcholicus ineſſe putabitur, aut cœli cõſtitutio frigida ſit, ampla: ſin tenuis et aquoſus, aut ipſa cœli conſtitutio calida, anguſtior ea fiet. Vena ut decet aperta uinculum à ſuperiori parte laxabitur, quò inde ſanguis uberiùs defluat. Si ſanguini curſus erit idoneus, ſinatur: ſi minus abundè & ſegniùs fluat, idq; ſectionis errore, ea emendentur: ſi ſanguinis craßitie, aliáue ex cauſa, laborans pugnum arctè uehementerq; adducat, neruos, muſculos, & latera, tußi ac uoce ualida cõtendat, uulnus aquæ calidæ fomento proritetur. Si uecordem cura metusq; terreant, hincq; parciùs ſanguis emanet, intermißio fiat, dum uires exponendis recreentur modis. Immò etiam ſi pro ratione ſanguis dimanet, utile eſt medio curſu digitũ uulneri imponere, tum ut uires reficiantur minusq; dißipentur, tum etiam ut deterior ſpurciorq; ſanguis, ex intimis celeriùs in ſectionem confluat. Emanantis autem ſanguinis quantitas æſtimanda eſt, ut is demum opportunè ſiſtatur. Aeſtimatio ex morbi neceßitate & ex uiribus eſt in ple

thora simplici, ad imminentium morborum præcautionem satis sit redundantiam demere, dum mediocritas sit reliqua. At quum iam morbus inest, isq; uniuersalis ut febris non satis illud fecerit, sed si uires tolerent, infra mediocritatem imminuendum est. Mediocris enim si putrescat, quasi efferuescens intumescit, & tum corpori infestus, tum uiribus grauis est: minui igitur debet, at parcius quàm in plenitudine. In partium autem morbis nō una quantitas, sed tum coloris tum substantiæ mutatio spectanda. Quum uehemens dolor, aut magna quædam inflammatio locis inest uenæ sectæ finitimis, sanguinis cursus ne sistatur, nisi uel dolor mitescere occipiat, uel color commutetur. Mutatio quippe index est sanguinem ex inflammata sede, in qua is est à reliquo dispar, euelli: quod omninò expectandum est, nisi aut parti uehementer impactus humor est, aut euacuatione uires exoluuntur. Hæc siquidem cogunt intempestiuè cessare, ac potiùs iteratò quod reliquum est detrahere, aliâs quidem eodem die, aliâs postero. Vt enim effluenti sanguini, ita & uiribus attendendum ne deficiant. Vires defecturas præmonstrant, labans fluoris impetus, pallens faciei color, oscitationes, pandiculationes, aurium tinnitus, oculorum suffusiones: quæ omnia coarguunt uitales spiritus imminui & cor infringi destitutum calore. Adhæc singultus & nausea, quæ fiunt irrumpente humore in os uentriculi. Omnium tamen certißima & minimè fallax est pulsus mutatio, qui si ex crebro supra modum rarus euadat, aut ex magno paruus, ex uehementi debilis & obscurus, ex æquabili inæqualis, uires collapsuras, aut perturbationem epilepsiæ non admodum dißimilem præsagit. Hæc igitur si ex uacuationis quantitate incidant,

protinùs intermittendum, ne imbecillitas progressa, uel mortem inferat, uel iacturam quæ nullo pacto resarciri poßit. At si uel metu, uel terrore, uel stomachi demorsu, hæc signa compareant, intercepto fluore laborans recreetur, ut exinde poßit reliqua uacuatio compleri. Recreandi multæ sunt rationes: Os atque faciem frigida conspergere, acetum, uinum, moschum, idq́; genus aromatica ad nares admouere. Ab his uerò præstantißimum sit ægrum prosternere: partibus quippe omnibus in unam situs æquabilitatem adductis, cessat labor omnis, principesq́; partes caloris & spiritus plus sibi mutuo impartiunt. Si ne sic quidem releuetur æger, uomitus excitetur, aut faucium titillatu, aut iniecto oleo: quandoquidem is impetus stomachi cordisq́; tædia depellit, suscitatq́; robur. Mox uires instaurentur uino, succo mali punici, iure carnium, medicamento diamoscho, alijs'ue cardiacis.

VT À VENAE SECTIONE regendus sit æger.

SAnguine ut morbi magnitudo uiresq́; ferebant emisso, uinculum dissoluatur, uulnus exsiccetur, ne concrescente sanguine madens aut non coalescat, aut abscessus metum inferat. His siquidem non accuratè animaduersis, die octauo aliquando resignatum est uulnus. Adeps si exiliat non præcidatur, sed intrò molliter referendus est. Detersum uulnus linteo obsignetur uel rosacea uel dulci aqua imbuto, aut etiam oleo, si sanguinem iterum fundere consilium est. Fascijs linteum deuinciatur, quæ nec arctiores sint, nec cutem uulneris'ue labra distorqueant. Si icto tendone aut neruo fluxionis aut phleg

mones metus est, emplastrum è cerussa imponendum est: in ambitu uerò cataplasma ex semperuiuo, solano, arnoglosso, alijsq; frigidis. Sectus æger supinus decumbat, ut omnibus partibus in spinam dorsi tanquàm in corporis basim reclinantibus, summa sit quies, & in quiete partes exhaustæ repleantur, resarcianturq; spiritus. Neque igitur ad consueta munia properet, neque celeriùs inambulet, neque ullo exercitationis genere se fatiget, neque utatur uenere, neque in balneum descendat: quandoquidem sanguis & spiritus uehementiùs incitati, ne dißipẽtur aut incalescant, sedandi comprimendiq; sunt. At uenæ sectioni non continuò indormiendum est, ne aut languidior calor extinguatur, aut obruantur imminuti spiritus. Itaque uigilans conquiescat, absitq; omnis tum animi tum corporis contentio, quod & in lipothymia præcipimus. Hora una aut altera à sanguine misso, alimentum licet offerre, exiguum quidem quodq; boni sit succi, quod promptè alat, & quod sit profligando morbo accommodatum. Duabus abhinc horis aut etiam minus, nihil uetat obdormiscere, modò aßidentes prospiciant, ne uel laborans in brachium cæsum se deuoluat, uel uinculum dissoluat, quo sanguis dimanet, uel aliud sibi incõmodum ferat. Reliquus cibus sensim tum copia tum materia deinceps increscet: neque temerè aut auidè ad pleniorem properandum est, ut quem natiuus calor imminutus non plenè sit confecturus, & quem crudum multumq; exuctæ uenæ rapiant, quo demum omnem corporis molem refertiant. Esto etiam integra sit omnis alimenti concoctio, quid tamen iuuat illico se succis largiùs implere, quos animus est uena secta demere? A` misso sanguine exquisitior uictus ratio tenenda, neque protinùs æger

4 de sanit. tuenda.

ad pristi-

ad pristinam diætam perinde ut canis ad uomitum redeat. Intemperantes, idonei uenæ sectioni non sunt. De iteranda uenæ sectione sic statuendum: Quum ex ferventis sanguinis copia, uel maxima inflammatio, uel dolor uehementissimus, uel ardentissima febris irrumpit: ipso protinùs initio antequàm effrenatus sanguis in principem aliquam partem incumbat, non modò quantum illius exuperat, uerumetiam multò plus emittendum est, idq; uniuersè & affatim, etiam ad usque animi defectionem, si ualidæ uires tolerando sunt. Ferè autem ualent in plethoricis affectibus, in quibus raró uacuationis copia deficiunt. Neque is à quo sex libras Galenus commemorat se detraxisse, in lipothymiam incurrit. Quæ igitur ad hanc perduxerit, in qua & corpus refrigeratur, & sudor frigidus emanat, eam magnam esse necesse est, & quantam uix quisquam hoc tempore tentare ac periclitari uelit. Quod Hippocratis fit consilio prohibentis uacuationes in extremum deductas, ut certè periculosas. Quid autem illud est quod præcipit Hippocrates, uires integras & uegetas in his haberi, quibus ad animi defectionem sanguis emittitur? Quomodo deficiunt & ualidæ sunt? Aut si ualidas præcipit usque ad defectionem deducere, quid iuuat ualidas fuisse? nam & imbecillæ linqui similiter possunt. Diluenda hæc disceptatio, quæ multorum ingenia diu exercuit. Constantibus & integris uiribus defectio interueniens, arteriarum spiritus exoluit, attamen illæsæ persistunt eæ uires, quas cordi, iecori, ac cerebro natura congenuit. Licet autem in lipothymia illæ dispereant, ex his tamen insitis aliæ illis persimiles denuò suscitari poterunt, ex quibus impendiò recreabitur æger. At imbecillis (quoniam illæ principi-

bus partibus insitæ uires languent) si lipothymia obrepserit, uix instauratio fiet. Quocirca uiribus imbecillis cauenda diligenter est defectio. Ita quidem de maximis urgentibusq; morbis sanciendum. At in leuioribus ijsq; uniuersalibus, ut in plethora, in febribus & alijs morbis, quorum materia coërcita est in uasis, non quidem ad lipothymiam, sed tamen quantùm expedit, quantumq; affectus expostulat, uniuersè & semel statim initio uacuandum est, si modò uires annuant. Ea uacuatio citra ullam uirium iacturam, exuperantem omnem materiam subtrahit, antequàm ea uel tota putrescat, uel in nobilem partem irrūpat, uel horrenda symptomata suscitet. Qui metu deterritus in his uacuationem partiri proponet, & minus sanè proficiet, et morbum producet in longius. At si per uirium imbecillitatem nequit uniuersa uacuatio compleri, quum præstantior uirium quàm morbi sit obseruatio, partitione uti cogimur, idq; summo iudicio summaq; prudentia. Partitio autem fit ex modicis interuallis, atq; uel dissoluto uinculo, uel digito indito uulneri, intermittatur tantisper dum modis antè expositis restituantur uires. Interdùm hora una, interdum autem plures ad uirium instaurationem necessariæ sunt. Galenus optimum ducit non ultra diem prorogare, ac bis sanguinem (si uires sinunt) eodem die mittere, idq; in morbis uniuersalibus, quibus unius uacuationis gratia iteratio præcipitur. Hi siquidem nullam cunctationem ferunt, & (nisi quid aliud uetat) antequā putredo aut alia inualescāt mala, properandum est quantum expedit educere. Cæterū in affectibus partium omnibus, præsertimq; in phlegmonis, tametsi uires persistunt, uacuationem partiri iuuat: semperq; post modicam sanguinis effusionem iterùm

mittere,

mittere,maximè quum postremus sanguis corruptus apparebit. Iteratione primùm quidem parciùs, deinde liberaliùs secundò, interdum & tertiò mittendum. Qui enim iam semel uacuatione fuerit exolutus, secundam uix perferet. Partitas euacuationes oportet etiam in partium morbis lõgiore interuallo seiũgi. In pleuritide, in partiũ phlegmonis, alijs'ue affectibus, quorum materia è uasis in partium molem confluxit, quum aut reuulsionis aut deriuationis gratia uena secetur, utile est repetitam sectionem in diem posterum, quandoq; & in perendinum differre, ut hoc temporis spatio, corrupti humores ex affecta sede remigrent in uenas exhaustas, quos exindè repetita sectio promptiùs eripiet. Pars laborans sensim uno altero'ue die humores suos eò deposuit, qui corrupti quum sint, illic relinqui non debent, etiam si dolores conquieuerint. Venenatam, malignamq; inflammationem, ut pestilentem bubonem, uel carbunculum, non in posterum diem produces, sed necesse est eo ipso die festinanter iterata uacuatione demoliri: ne pestilens contagio diutius hæreat in uenis. Nolim medicum hinc sibi ansa prærepta, cõfidẽtiùs atq; audaciùs crebriorem uenæ sectionem adoriri, quum eam Galenus uix nisi ex necessitate pluries anno fieri permittat. Frequentior licet dum fit, detracto quasi pondere corpus leuare uideatur, quoniam tamen non parum spiritus calorisq; demit, maturam senectutẽ, & hanc morbis grauioribus obnoxiam reddit: cuiusmodi sunt cachexia, hydrops, arthritis, tremor, paralysis, apoplexia. Impensius enim refrigerato natiuo calore humidoq; primigenio imminuto, uiscera languescunt, cruditas dominatur, quæ tot malorum causa sit atque origo.

EMISSI SANGVINIS OBSERVATIO.

EFfluens sanguis excipiendus mundis tersisq; peluicu lis, terrenis, uitreis, stanneis aut argenteis, non item æneis, ne ab his uel propriæ substantiæ, uel coloris, uel alterius qualitatis conuersionem subeat, quæ nostrum de corporis affectione iudicium peruertat. Sint & peluiculæ multæ, in quibus sanguinis uarietas dispici ac distingui poßit. Seponantur loco mundo, quò nec puluis, nec fumus, nec uentus, nec solis radij pertingant. Omnium prima in his obseruabitur sanguinis substantia. Viscosus est qui lente fluxit & tanquàm glutinum digitis obhæret, quorũ neutrum efficit probus atq; mediocris. Crassus est & densus, multasq; fibras habet, qui ocyus cõcrescit atq; conglaciat, hic obstructionũ aliorũq; indè morborũ fit author. Qui tardiùs cõcrescit ac durescit, tenuis est: qui uerò iã refrigescens minimè durescit, is omnino uel aquosus uel putridus est, cuius fibræ omnes direptæ atq; corruptæ uanuerunt. Id ipsum planiùs distinguit fißio. Crassus ac compactus difficilè finditur, tenuis facilè: putridus uerò non finditur, uerùm simulatq; attingitur totus in partes exiguas discerpitur. Serum multum tanquàm aqua citrina concreto sanguini innatans, uel potum liberaliorem, uel iecur infirmum quale hydropici, uel imbecillos renes, uel eosdem obstructos ostendit: quibus ex causis serũ redundans in uenas, sanguini permiscetur. Hunc tamen non eo prorsus destitui par est, uelut in his qui frugaliùs bibunt, aut immoderatiùs sese exercent: crassescens enim sanguis difficilè in tenues uenas distribuitur, easq; promptè intercludit. Spuma innatãs nisi fluoris impetu nata sit, incendium atq; feruorem eius humoris ostendit, cuius
colorẽ

colorē præ se fert: rubra quidem, sanguinis: citrina, bilis: alba, pituitæ: liuida, melancholiæ. Durescentis sanguinis color per summa rubicūdus, boni utilisq; sanguinis est index: ruber quidem ac lucidus ardentis, qualis est arteriarum: ruber uerò & obscurus mediocris, qualis est uenarum. Color citrinus, bilem: albus, pituitam: uiridis, bilem retorridam: liuidus aut plumbeus, atram bilem cum pernicie, ut disparium colorum permistio uarios humores exuperare commonstrat: qui an etiam putridi sint nec'ne, sanguinis substantia palàm facit. Est autem quum albus color ex optima concoctione proficiscitur: quod his præsertim accidit, quorum plenior est uictus, & quorum urinæ benè coctæ uisuntur, multo alboq; sedimento confertæ. Illorum quippè sanguis, in uenis tenuioribus concoctione iam albescit. Sanguinis parte summa innatat nonnunquā pingue quiddam & adiposum, instar telæ aranei cohærens. Hoc, si admodùm pingue & obesum corpus est, ex ipso sanguine causam habet, qui est in adipem pronus. Sin corpus strigosius fiat minusq; opimum, idipsum colliquari & marcescere portendit. Ima parte concreti sanguinis subsidet, quod terrenum magis est atq; fæculentū. Id quum finditur, sæpius apparet uel rubrum obscurum, uel nigrum, uel liuidum, uel uiride: unde humoris qui sanguinem perfundit naturam uidere est, atq; ex coloris copia assequi quantùm unusquisq; humor in uenis abundet. Si diffisso sanguine grana quædam arenularū æmula offendantur, aiunt uel Elephantiasim, uel propensionem ad hanc notari: quanquàm obseruantibus nihil tale deprehensum est. Rarum est sanguinem à uenis graueolere: quòd si contigerit, putredinis corruptionisq; deploratæ est indicium. Detractum sanguinem nemo degustarit: at

si cui

ſi cui in os fortaſſe incidet, dulcisq; apparebit, ſecundum naturam eſt: qui amarus, bilioſus: acidus aut ſtipticus, melancholicus: inſipidus, pituitoſus: ſalſus, pituita ſalſa perfuſus. Sanguinis ſubſtantia atq; colore animaduerſis, conferendæ inuicem erũt peluiculæ. Quæ ſi omnes optimum ſanguinem æquabiliter exhibeant, credibile eſt reliquum in uenis ſimilem haberi, illum tamen detrahendum fuiſſe, quòd multitudine peccaret, quæ una corpus grauat, ſenſus offundit, & in putredinem, aut in grauiorum malorũ pericula conijcit. Si uitioſus & impurus ſanguis conſpicitur, multò etiam utiliùs eductus eſt, ut qui & copia & qualitate moleſtus, corpori negotiũ faceſſeret: ſed & poſthac diligentiùs uacuari corpus debet, aut pharmaco, aut uenæ ſectione. Si qui priùs manauit, ſyncerus: qui autem poſteriùs, prauus exiſtit: multi huiuſmodi reſident in corpore, proba uictus ratione, idoneisq; uacuationibus exterminandi. At ſi hoc ex phlegmone accidit, bono eſſe ſolet, nempè indicium completæ & integræ uacuationis, quæ morbi materiam ex affecta ſede extirpauit. Si poſtrema peluis purior eſt primis, conſummata eſt uacuatio, quæ ſanguinem uitioſum omnem detraxit, dum utilis ac bonus dimanaret. Sanguis in tepeſcentem aquam effuſus, diuulſis ſecretisq; ſubſtantijs multa profert: Serum aquæ omninò confunditur, ut internoſci nequeat: illi etiã permiſcetur tenuior ſanguinis portio, ex cuius colore liceat de humoris natura & ſpecie quodammodò iudicium facere. Craſſior sãguinis portio et fibroſa ſubſidet in imo: quæ pura & ſecundum naturam eſſe iudicabitur, ſi lucida, tenuis, ſubalbida & cohærens fuerit: at craßior craſſum etiam ſanguinem ineſſe, obſcura & nigra alio'ue infecta colore, ſanguinem uitioſorum humorum fæcibus inquinari

quinari commōstrat, quos ipsa coloris differentia discernit. Si parùm illa cohæret, distractaq; facilè dilaceratur, summæ putredinis est argumentum.

DE ARTERIARVM SECTIONE.

MAiores arterias in cubito & in poplite sitas, incidere neutiquàm sit tutũ: quòd inde sanguis ægrè restingui poßit, nempe tenuis & calidus impetuq; prorumpens: neq; si reprimatur facilè queat uulnus ad cicatricem perduci citra aneurisma, ob aßiduum pulsum, obq; tunicas crassas & præduras. Necesse est interdũ arterias totas discindere, illarumq; extrema uincire, ut & sistatur sanguis, & uulnus carne obducatur. Minores uerò arterias quæ in summis artubus, in capite, in manibus, & in pedibus extãt, licet citra hæc pericula incidere: ut quæ agglutinari poßint, præsertim in molli humidoq; corpore, quali mulieres ac pueri præditi sunt. Confert autem harum sectio quum uehemens diuturnusq; dolor, circum mẽbranas uim infert, qui pungenti similis est, ob membranæ sensum & qui pulsans est ex arteriarum motu. Sanguis enim multus, tenuis & calidus in affectæ partis arterijs coërcitus, illius fit doloris causa. Itaq; si partibus extremis inuestigentur ac secentur arteriæ, quæ à sedibus illis affectis procedunt, dolorem omnino uanescere, Galenus prodidit insomnijs confisus, quæ dum consentanea uideret, ipso opere est insecutus. Pauci hoc tempore arterias incidunt, quòd non admodùm conspicuæ sint, nec facile sit illas consequi. In temporibus sectæ calidas acresq; oculorum fluxiones inhibent, quarum gratia totæ discinduntur, aut inuruntur candente ferro, caustico medicamento.

mento. Pone aures ſecantur in uertigine, in diuturnis capitis doloribus calidis atq; ſpirituoſis, in faciei rubore, & quibuſdam alijs capitis affectibus inueteratis. Quæ inter pollicem et indicem excurrit, aperitur in diuturnis laterum doloribus inter uiſcera & diaphragma poſitis. Iuxta malleolum ſecta, uetuſtos coxendicum dolores qui iamdiu inualuere lenit. Semper autem eius delectus habeatur, quæ è directo affectæ ſedis eſt, ad quam ne accedendum quidem fuerit, corporis totius prouiſione neglecta. His mihi concludenda uidetur omnis de uenarum arteriarũq; ſectione ſuſcepta tractatio, quam iccircò paulò pleniorem inſtitui, ut omnia integrè complecterer, quæcunq; ad rem ſpectant, neq; aliundè quicquam peteretur: ut etiam quæcunque ueterum ſcriptis ambigua ſunt aut controuerſa, perſpicuam lucem acciperent. Quæ ſi cui uix licet omnia ad unguem ipſo medendi opere & uſu complere, conandum tamen eſt, ut ad illa tanquam ad certam legem et regulam noſtra omnis actio dirigatur.

FINIS.

FINIS.

